

189 Plures alie manifestorum usurariorum pœne comprehenduntur e. 2. h. t. in 6. ubi inter alia dicitur: Nullus manifestorum usurarium Testamentis interfuit, aut eos ad confessionem admittat, sive ipsos absolvat; nisi de usuris satisfecerint, vel de faciendis pro suarum viribus facultatum presentem (ut prœmittitur) idoneam cautionem. Testamenta quoque manifestorum usurarium aliter facta non valeant, sed sint irrita ipso Jure. Hæc ibi.

190 Præter hæc à Jure communi statutas pœnas usurariorum sunt aliquæ per Leges Municipales statutæ, quæ in suis locis videndæ, & observandæ in nostra Bavaria.

191 Ceterum, ut ex parte suprâ num. 61. & 62. in simili jam dictum, sicuti à culpâ, sic etiam à restitutione, & pœnis usuræ multi, præsertim doctores, se reddere pœnis immunes, non tantum in casu, quo adest lucrum cessans, vel damnum emergens, aut periculum fortis, aut pœna ob moram imposita per dicta §. 4. & §. 5. sed etiam his absentibus, si nempe loco mutui emanat census, seu denique per contractum emptionis sortem principalem centum florenorum pro Jure quinque annuatim percipiendi ex bonis Debitoris, idque sive redimibiliter, sive irredimibiliter per dicta §. 8. à num. 149. vel si id faciat, vel facere intendat per tacitum, vel expressum contractum Societatis, ut fieri potest in casu, quo sortem principalem dat ei, qui cum illa negotiatur, & honestum lucrum querit, ita ut hic præset industriam, ille verò pecuniam hæc conditione, ut de lucro ex sorte principali centum florenorum acquisito tribuatur pars subministranti pecuniam, v. g. annuatim quinque.

192 Et quamvis indocti, & rudes præfatas vias & titulos usuram declinandi non sciant, ac intelligant, sed absque ullo justo, quem scienter, titulo quoque annuatim exigant ob sortem principalem mutuo datam, & in ipso contractu alium terminum non adhibeant quam mutui aufstleichen, leichen, anlegen &c. tamen à peccato usuræ, restitutione, & pœnis ipsius passim immunes censendi sunt: Tum quia bonâ fide procedunt, id faciendo, quod varios doctos & probos passim praticare vident: Tum quia licet hujusmodi indocti non adhibeant, nec adhibere valeant expressam intentionem & titulum ab usura excusantem juxta dicta; tamen quia merito censendi sunt contrahere modo, quo possunt de Jure meliori, eorum contractus non tam mutuum, quam emptio census, vel tacitus, aut expressus contractus societatis in re, & effectum judicari debent, etsi ob suam simplicitatem, & defectum notitiæ, terminum mutui adhibeant; præsertim cum verbum leichen seu mutuum dare, apud Germanos verbum valde generale sit, uti post Laym. lib. III. tr. 4. cap. 18. nu. 13. bene notat Engel h. t. n. fin.

193 Queritur II. Quis sit legitimus Judex Criminis usuræ? Resp. Usuræ esse mixti Fori, ita ut tam Laicus, quam Ecclesiasticus de illis cognoscere, & judicare valeat, non solum si tantum Falsi quæstio, crimen verò liquidò usurarium est; sed etiam quando est Juris, seu quando disceptatur, num hic vel ille contractus usurarius sit nec ne. Prima pars de casu, in quo sola est quæstio Falsi, caret controversiâ, patetque ex c. Post miserabilem. 12. h. t.

194 Alteram partem de quæstione Juris tenet Farinacius Prax. Crimin. q. 8. n. 140. Menochius de Arbitr. Judic. casu 398. n. 4. Covarruvias lib. 3. Variar. Resolat. cap. 3. nu. 1. Sylvestri v. usura. 9. princ. Pirhing h. t. n. 14. & alii contra Glossam in c. Cum sit. 3. v. Malefactores, de Foro compet. Clarum v. usura. n. 8. & nonnullos alios volentes cognitio-

nem quæstionis Juris, de hoc Crimine soli Judici Ecclesiastico competere. Probatur Conclusio nostra: Tam quia à Jure Canonico nullibi invenitur interdictio Judici Laico cognitio usuræ in casu quæstionis Juris, sed positivè concessa c. Post miserabilem 12. h. t. ubi sine distinctione inter quæstionem Juris, & Falsi conceditur Potestati seculari facultas cognoscendi & judicandi usuras: Tum quia hoc Crimen non tantum Ecclesiastico, sed etiam Divino, & naturali Juri adversatur, nec plus spiritualitatis in se habet, quam Furtum, Homicidium, Adulterium &c. Quæ cognoscere & judicare, etiam secularem Judicem posse, nemo negat.

Nec obstant, quæ Adversarii objiciunt, Jura 195 ex c. 2. & c. Præterea. 7. h. t. Quia licet ex his probetur, Crimen non tantum seculare, sed etiam Ecclesiastici Fori esse, non tamen probatur, id esse solius Fori Ecclesiastici, præsertim cum resistat c. Post miserabilem. 12. h. t.

Dices: cognoscere, nam actus aliquis sit peccaminosus, solius Fori Ecclesiastici est, c. Novit. 13. v. Non enim de Judic. & c. Per venerabilem. 13. §. Nam si, qui filii sunt legitimi; atqui in quæstione Juris agitur de solo peccato; ergo. Resp. Pertinere quidem ad solum Forum Ecclesiasticum, generali definitione decernere, quænam sint peccaminosa nec ne; hoc tamen non obstante bene potest Judex secularis cognoscere, nam hic vel ille contractus justus, vel injustus, Canonibus, & Legibus contrarius sit nec ne, ut citati Doctores bene advertunt.

TITULUS XX.

De Crimine Falsi.

SUMMARIUM.

- 1 Quid Falsum? & quæ requirantur ad illud?
- 2 Committitur quatuor modis, scilicet Dicto, Scripto, Facto, & Ulu.
- 3 Dicto committitur, præsertim per testes in judicio dicentes Falsum.
- 4 Vel supprimentes verum: & quomodo?
- 5 Item, qui subornant vel corrumunt testes.
- 6 Ac ipsi testes dolosè negantes, se recordari, vel obscurè deponentes.
- 7 Item si Judex corruptus iniquam proferret sententiam.
- 8 Et Advocatus prodens secreta cause sui Clientis.
- 9 Scripto committitur Falsum, si quis falsum scribit Testamentum.
- 10 Vel dolosè mutat nomen, cognomen, genus, parentes &c.
- 11 Vel sibi in Testamento inique scribit Legatum &c.
- 12 In Bullis Pontificis novem modis contingere potest Falsitas, & quibus?
- 13 An, & quando per errorem latinitatis vel rursus censetur falsum Rescriptum Pontificium? Remissive.
- 14 Facto committitur Falsum per diminutionem ponderis, vel mensuræ publicæ.
- 15 Per suppositionem partus alieni.
- 16 Item ab eo, qui mercem corrumpt.
- 17 Qui eandem rem duobus in solidum vendit.
- 18 Qui honorem vel gradum falso simulat, v. g. Sacerdotis, Doctoris, Notarii.
- 19 Qui falso alienis utitur Insignibus.
- 20 Qui utitur falsis constitutionibus.
- 21 Circa monetam Falsam committitur triplici modo.

modo, rempe eudendo sine legitima autoritate monetam justam.

22 Vel justum illius pondus minuendo.

23 Vel eudendo falsam.

24 Graviter etiam prohibetur, arte Alchimie conficere aurum, vel argentum.

25 Ulu, seu potius abusu, quoquomodo committatur Falsum.

26 Pœna committentis Crimen Falsi cujuscunque.

27 Pœna testis Falsum committentis in Judicio de Jure Civili: Et n. seq.

28 Pœna testis Falsum committentis de Jure Canonico: Et n. seq.

Pœna destructionis in Monasterium hodie transit in pœnam trimerium, aut perpetui carceris.

30 Pœna Advocati.

31 Et Judicis committentis Falsum.

32 Pœna committentis Falsum in Scripto.

33 Pœna committentium Falsum circa Litteras Apostolicas.

34 Quæ stringunt, etsi ex Falso, nulli sequatur damnus.

35 Pœna Falsificantium pondera & mensuras.

36 Pœna Falsum supponentis partum.

37 Altorum Falsiorum pœna.

38 Pœna Falsum committentis circa Monetam.

1 Queritur I. Quid sit Falsum, & quot modis committatur? Resp. I. cum Sylvestro v. Falsitas num. 1. Falsitas seu falsum est mutatio veritatis cum dolo & jactura. Triâ liquidem ad ejus esse requiruntur, videlicet primo ut pervertatur veritas, Novell. 73. in præfat. Secundo, ut id dolo malo fiat L. 1. & l. Lupatorem. 22. ff. & l. Nec exemplum. 2. C. de Ad. Leg. Corn. de Falsis. Et tertio, ut Falsitas fiat cum notabili damno alterius, ita ut alteri noceat, vel nocere possit, etsi forsitan impediatur, l. qui falsus 6. & l. Si Falsos. 8. C. eod. alioquin uno horum deficiente non tenetur quis pœnâ hujus Criminis, cit. l. Ne Exemplum. C. Leg. Corn. de Falsis. cum Concordantiis.

2 Resp. II. Falsum, seu Falsitas committitur principaliter quatuor modis, videlicet Dicto, Scripto, Facto, Ulu, seu potius Abusu, Farinacius Prax. Crimin. c. lib. 5. sect. 16. q. 150. n. 6. Malcardus de Probat. Concl. 739. n. ult. Danhaud. Prax. Crimin. cap. 119. Pirhing h. t. n. 1. Engel h. t. n. 2.

3 Queritur II. A quibus dicto committatur crimen Falsi? Resp. I. Dicto seu verbo committitur Falsum per testes, qui falsum testimonium dicunt in judicio, vel verum supprimunt dolo malo. Hinc c. 1. h. t. dicitur Falsidicus testis uerque reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit; quia & ille prodesset non vult, & iste nocere desiderat. Idem habetur can. Quisquis. 11. q. 3. concordat L. 1. & l. Falsi pœna. 20. ff. Ad Leg. Corn. de Falsis. Et hoc Falsum valde abominantur Jura; nam ut dicitur cit. c. 1. h. t. Falsidicus testis tribus personis est obnoxius: primo DEO, cujus presentiam convenit: dein Judici, quem mentiendi falsit; postremò innocenti, quem falso testimonio lædit.

4 Ubi tamen nota, quòd tunc testis occultandò veritatem censeatur Falsarius, quando interrogatus à Judice super certo articulo falso dicit, se nihil scire, vel quando juravit, se cum pura veritate dicturum, quòd ad propositum scit, & nihil minus eam tacendo suppressit. Secus est, si juravit solum simpliciter, se ad interrogata responderum: tunc enim, si non interrogatus taceat veritatem, non tenetur Crimine Falsi, Farinacius Prax. Crimin. de Testib. q. 67. an. 230. ubi tamen occultantem verum excusat, si sine dolo id facit.

5 Resp. II. Ille quoque Falsi reus est, qui testem

subornat, vel donis aut pretio corrumpit ad dandum Falsum testimonium, vel occultandam veritatem, sicuti & qui utitur dicto testis Falsi, Clarus §. Falsum. n. 3. & 4. Pirhing h. t. n. 4.

Illum insuper testem Falsum esse, qui interrogatus respondet, se non recordari, cum debeat verosimiliter recordari: item si per malitiam & dolum respondet veritate & obscurè, tenet Farinacius loc. cit. n. 224. Pirhing h. t. n. 4.

Resp. III. Eriam Judex verbo seu dicto committit crimen Falsi, & ut Falsarius puniatur, si pecuniâ corruptus, vel aliâ dolo malo contra Leges & Constitutiones Principum sententiam tollit, arg. L. 1. §. Sed etsi Judex. ff. Ad Legem Corn. de Falsis.

Resp. VI. Falsi adhuc reus censetur etiam Advocatus, qui parti adverse causam prodit, & vel propriis probationibus dissimulatis, vel falsis exceptionibus, aut probationibus admittis partem adversam directè vel indirectè juvat, Pirhing h. t. n. 8. Haunoldus Tom 6. tr. 2. n. 180. arg. l. 1. §. 1. ff. ad Leg. Corn. de Falsis, & l. 1. §. ad S. C. Turpil.

Queritur III. Quot modis crimen Falsi committatur Scripto? Resp. I. Ad committi ab illis, qui Testamentum vel aliud Instrumentum falsum scripserint, signaverint, recitaverint, subjecerint, vel signum adulterinum fecerint, vel expresserint scienter & dolo malo; ut dicitur §. Item lex Cornelia, de Falsis. Inst. tit. de public. Judic. cum Concordantiis ibidem à Glossa relatis.

Resp. III. Inter Falsarios numeratur, qui nomen vel cognomen, genus, vel parentis sibi fraudulenter mutaverint, l. Falsi ff. Ad Leg. Corn. de Falsis ibi. Falsi nominis vel cognominis assereratio pœnâ Falsi coercetur. Intellige, si hoc fraudulenter fiat: nam mutare nomen vel cognomen sine aliqua fraude, libero homini licitum est: si nullum inde capiam præjudicium fiat, ut expressè habetur L. un. C. de Mutatione nominis.

Resp. III. Tenetur pœnâ falsi, si quis in Testamento iniuste sibi adscripserit Legatum vel Fideicommissum, arg. l. Si quis Legatum ff. Ad Leg. Corn. de Falsis. Item si falsis literis aliud in locum ejus, quòd scriptum erat, scribat, prout contingit c. Olim. de Rescriptis: modò id fiat in loco suspecto; nam rasura in loco non suspecto non probat Rescriptum falsum, c. fin. h. t. sed mox occasione hujus specialiter.

Queritur IV. Quot modis possit contingere Falsitas circa Bullas Pontificias? Resp. I. Novem modos falsandi Litteras Papales referri c. Licet h. t. qui tamen plerique consistunt in diversis Artificiis radendi ex parte, vel toto Litteras Pontificias, aut vera Sigilla falsis literis apponendi, ut patet ex textu, ibi: Ut autem veritates falsitatis circa nostras Litteras deprehendere valeatis eas, vobis presentibus Litteris duximus exprimendas.

Prima Species Falsitatis hæc est, ut falsa Bulla falsis literis apponatur.

Secunda, ut filium de vera Bulla extrahatur ex toto, & per aliud filium immittitur falsis literis inseratur.

Tertia, ut filium ab ea parte, in qua charta plicatur incisum, cum vera Bulla falsis literis immutatur. Sub eadem plicatura cum filo similis canapis reseraturum.

Quarto, cum à superiori parte Bullæ altera pars filii sub plumbo resinatur, & per idem filium literis falsis inserta reducitur intra plumbum.

Quinta, cum literis bullatis & redditus, in eis aliquid per rasuram tenuem immutatur.

Sexta, cum Scriptura litterarum, quibus fuerit apposta vera Bulla, cum aquâ vel vino universaliter abolita, seu deleta, eadem charta cum calce, & aliis juxta consuetum artificium de labata de novo describitur.

Septima cum charta, cui fuerat apposta vera Bulla totali-

totaliter abolita, vel abrase, alia subtilissima charta ejusdem quantitatis scripta cum tenacissimo glutino conjungitur. Eos etiam a crimine Falsitatis non reputamus immunes, qui contra Constitutionem nostram, scienter litteras non de nostra, vel Bullatoris nostri manu recipiunt. Illos quoque qui accedentes ad Bullam, falsas litteras cautè projiciunt, ut de vera Bulla cum aliis sigillentur. Sed hæc duæ species falsitatis non possunt facile comprehendi: nisi vel in modo dictaminis, vel in forma scripturae, vel qualitate chartæ Falsitas cognoscatur. In cæteris autem diligens indagator Falsitatem poterit intueri, vel in adjunctione filorum, vel motione, vel obtusione, præscriptum si Bulla non sit æqualis, vel alicubi magis tumida, & alibi magis depressa.

13 Resp. II. Præsumitur falsum rescriptum, ita quod per ipsum non procedatur, si habet in se vitium latinitatis, c. Ad audientiam de Rescriptis, ibi: Quibus quantum manifestum continetur in constructione peccatum fidem te nolumus habere. De quo tamen plura jam diximus Lib. I. Tit. III. de Rescriptis, §. IX. per totum, ubi etiam de rasura, & nonnullis aliis hac attentionibus jam egimus: quibus adde Glossam in c. licet h. t. §. Falsitatis, ubi inter alios ponit sequentes verus.

Forma, stylus, filum, membrana, litura, sigillum: hæc sex falsata dant scripta valere pusillum.

14 Queritur V. Quibus modis Falso committatur Falsum? Resp. Id multipliciter contingere. Primum, Venditores & Emptores plebuntur poena Falsi, qui pondera, vel mensuras publicè probatas frumenti, vini, aut cupilibet rei corruperint. l. Hodie. 32. §. ff. Ad Leg. Cornel. de Falsis.

15 Secundò, qui alienum partum supponit, l. qui falsum. 19. & l. Cornelia. 30. Ad Leg. Cornel. eod. junctà l. 1. C. eod.

16 Tertio, Crimen Falsi committunt Falso, qui mercibus adulterinam vel minus utilem materiam adjungunt, Molina Disp. 701. n. 1. Farinacius q. 150. Pirhing. h. t. n. 45.

17 Quarto, qui duobus in solidum eandem rem diversis contractibus vendidit, poenâ falsi coërcetur, l. qui duobus. ff. eod.

18 Quintò, qui se pro milite gessit, cum non esset miles, vel si quis sibi falsè titulos honoris, vel statūs, v.g. Clerici, Sacerdotis, Nobilis, Doctoris, Notarii &c. assumit. Farinacius q. 150. n. 85. & 87. Pirhing. h. t. n. 45. König eod. n. 6. arg. l. eos, qui. 27. ff. eod.

19 Sextò, qui illicitis, id est, alienis insignibus usus est: vel qui falso Diplomate vias commearit, puniuntur gravissimè pro qualitate criminis poenâ falsi, l. eos qui. ff. eod. & l. un. C. de Mutis. nom.

20 Septimò, qui proposita Edicta dolo malo corrumpunt, falsi poena plebuntur, l. Hodie ff. eod. Item, si quis utatur falsis Constitutionibus nullo Authore, vel quæ non probate sunt, l. fin. ff. eod. Specialiter etiam committitur falsum circa Monetam, de quo etiam specialiter.

21 Queritur VI. Quibus modis falsatur moneta? seu falsum committatur circa Monetam? Resp. Juxta ordinationem Caroli V. Art. III. prin. Falsum circa Monetam tribus modis committitur. Primum, si quis cudat Monetam, qui cudendi non habet facultatem; etiam si ea ceteroquin sit proba & justiponderis: siquidem jus cudendi Monetam numeratur inter Regalia, ut patet ex lib. Feud. Tit. quæ sunt regalia junctà l. 2. de falsa Moneta. Accedit, quod ad justam Monetam non sufficit materiae bonitas, sed insuper requiritur publica forma, seu signum publicum, arg. l. 1. ff. de contrahenda emptione & venditione, ubi pecunia dicitur

Materia formâ publicâ percussa. Hæc autem forma publica vel deest, vel falsè fingitur in Moneta, privatè autoritate cusa, cum illam sine consensu Principis citra Falsum adhibere nemo possit, arg. l. Falsi. 13. prin. l. Qui nomine. 25. ff. Ad Leg. Cornel. de Falsis.

Secundò, Falsatur Moneta, si quis publicâ auctoritate cusa Monetæ justum pondus, tundendo, scindendo, abradendo, vel alio modo dolose dimittit: de quo fit mentio l. Quisunque. ff. Ad Leg. Cornel. de Falsis.

Tertio, Si quis Monetam adulterinam cadat, id est, est, fingat ex falsa materia, ut stanno, cupro, vel hujusmodi; aut si quis veræ materiæ, puta, auro, argento, adulterinam, v.g. stannum, cuprum, aliamve materiam admiscet; vel si quis nummos falsos tinxerit, ut appareat aurei, vel argentei, l. Legge. 9. ff. cit. l. quisunque. ff. eod. & l. 1. & 2. C. de falsa Moneta.

Ad Falsum circa Monetam plerumque reducitur etiam confectio auri, & argenti arte Alchimie; quamvis enim non desint, qui cum Alberto Magno Lib. III. Mineral. docent, dictâ arte aurum & argentum confici posse; nihilo minus ob periculum falsi Joannes XXII. in Extravag. Spondent. h. t. inter communes, sub gravibus poenis (nempe sub poena infamie, & obligatione restitutionis) et si Clericus sub privatione etiam Beneficiorum, & inhabilitate ad eadem habenda, prohibet, ne aurum vel argentum arte Alchimie conficiatur, aut confectum scienter usurpetur multò minus ex eo Moneta adulterina cudatur, idque merito: quia hujusmodi confectio auri, si non impossibilis, adeò difficilis est, ut moraliter impossibilis reputetur: Tum quia non nisi magno cum damno conscientium, & aliorum confici curantium fieri potest, adeò, ut cupientes simile aurum continuè vanâ spe deludantur, & interim medijs exhaustantur; nam, ut ait Pontifex mox à principio Spondent, quas non exhibent divitias, pauperes Alchimista. Sed de hoc plura alii.

Queritur VII. Quibus modis Falsum committatur Usus, seu potius Abusus? Resp. cum Engel. h. t. num. 17 & aliis, id fieri, quando quis scienter vitium Falsitatis ab aliis confectâ: ut si quis Testimonium vel Instrumentum scriptum falsum scienter in Judicio proferat, Monetam falsam scienter dolose colligat & expendat, ac hujusmodi. Hac reducunt aliqui etiam illos, quos supra n. 10. & 18. posuimus, verum parum refert, nam Falsarius, quis Usus, Falso, vel Scripto dicatur, quia quivis certis poenis subiectus est juxta statim dicenda.

Queritur VIII. Quas poenas incurrant Falsarii, seu committentes Crimen Falsi? Resp. I. Poena ordinaria committentis quocunque tandem Crimen Falsi, olim circa Nobiles erat deportatio cum omnium bonorum publicatione; circa Personas viles damnatio ad Metallum; circa Servos ultimum supplicium, l. 1. §. fin. ff. Ad Leg. Cornel. h. t. l. Si quis, 38. §. 7. ff. de Panis. Hodie tamen ex arbitrio Judicis prudentis pro diversitate circumstantiarum imponitur, prout notat Glossa in cit. l. 1. §. fin. v. Eorum, adeò ut subinde pecuniaria, subinde corporalis, sive etiam capitalis esse possit l. Ubi Falsi. 22. C. Ad Leg. Cornel. h. t. ubi in fine habetur: Supplicio Capitali, si id exigat magnitudo commissi.

Resp. II. Poenas Falsariorum esse varias pro diversitate Falsi ab eis commissi. Patet inductione. Nam in primis Testis in judicio Falsum committens juxta dicta n. 3. 4. 5. & 6. de Jure Civili eandem, quam alii Falsarii, incurrit poenam specificatam n. præcedent.

Ex

Ex ordinatione autem Caroli V. art. 107. Testis in causa Civili Falsum cum juramento dicens evadit infamis, & tenetur ad omne damnatum parti per Falsum læsæ inde secutum; ac insuper juxta receptam consuetudinem amputantur eidem duo illi digiti, quos in præstationem juramenti ad DEUM erexit. In causa Criminali autem Falsum committens, poenâ Talionis, id est illâ, quâ Reus puniri debuisset, juxta eandem Caroli V. Ordinationem, art. 68. puniatur ad imitationem Legis Divinæ Deut. cap. 19. v. 19. & 21.

De Jure Canonico autem Testis quicumque, sive Clericus, sive Laicus in Judicio five Civili, sive Criminali Falsum committens est infamis, can. Constitutus. 9. cau. 3. q. 5. ibi: Qui &c. falsum testimonium dixerunt, infames sunt. Clericus insuper Falsum in Judicio quocunque committens, depuniri, & in Monasterium detrudi jubetur, can. Si quis Episcopus. 7. dist. 50. vel ad Trirames, aut perpetuos carceres damnandus est; quia loco detractionis in Monasterium olim consuetæ hodie succedit damnatio ad Trirames, vel perpetuos carceres teste Fagnano in c. Cum non ab homine, de Judiciis. n. 104. Farinac. q. 119. n. 55.

Quæ tamen ordinaria poena Clerici Testis falsi limitatur, & in arbitrarium reductur, casu quo non nisi circa accidentalia, vel sine præjudicio tertii Falsum committit. Clarus §. Falsum. n. 9. & n. 35. Menochius de Arbitrar. Judic. casu 306. n. 22.

II. Poena Advocati Falsum committentis juxta dicta n. 8. præter ordinariam est etiam, quod tenetur ad reparationem damni, ac insuper ad arbitrium Judicis pro diversitate personarum, & circumstantiarum, satisfactione, carcere, vel relegatione puniri valeat vigore Ordinari Caroli V. art. 115.

III. Poena Judicis Falsum committentis juxta dicta n. 7. specialis olim erat Exilii, & Capitis, l. Lex Julia. 7. §. fin. ff. Ad Leg. Jul. Reputand. hodie vero pro diversitate circumstantiarum est privatio Officii & Dignitatis, ac inhabilitas ad judicandum, confiscatio bonorum, vel etiam Exilii, & Capitis. Farinacius q. 111. d. n. 4. Menochius de Arbitrar. Judic. casu 342. d. n. 7. Judicis Ecclesiastici vero Falsum committentis poena præter ordinariam est suspensio à Divinis, & compensatio damni illati, c. 1. De sentent. & re judicat. in 6.

IV. Poena Scripto committentis Falsum juxta dicta n. 9. est ordinaria n. 27. allegata.

V. Poenæ committentium aliquod Falsum circa Litteras Apostolicas juxta dicta n. 12. & 13. Sunt sequentes. Primum est Excommunicatio Papæ reservata, c. Ad falsariorum. 7. h. t. junctâ Bullâ Cæneæ §. 6. cujus poenæ non tamen reservata etiam subiecti sunt horum fautores cit. c. 7. h. t. Secundò, Clerici, qui Falsarii fuerint deprehensi, omnibus Officiis, & Beneficiis Ecclesiasticis perempti sunt privati; ita quod si per se Falsitatis vitium exerceverint, postquam per Ecclesiasticum Judicem fuerint degradati, seculari Potestati tradantur, secundum Constitutiones legitimas puniendi, ut in formalibus statuitur cit. c. Ad falsariorum 7. h. t. ubi ulterius Tertio ita statuitur Papa, qui sub nomine nostro litteris falsis utuntur, si Clerici fuerint, Officiis & Beneficiis Ecclesiasticis spolientur; si Laici amittuntur maneam Excommunicationis subiecti, donec satisfacti fuerint: & infamæ: quod & de his, qui falsas litteras impetrant, statutum observandum. Quarto statuitur c. Dura. 4. h. t. quod, si quis falsas litteras se habere cognoscit, intra viginti dies, illas aut destruat, aut resignet, si poenam Excommunicationis voluerit evitare: cui proin quis subjacet, et si illis non utatur, nec utendi intentionem habeat. Barboza in cit. c. Dura. 4. h. t.

n. 2. Et hæc poenæ contra Falsarios circa Litteras Apostolicas procedunt, et si ex hujusmodi Falso nullum, aut modicum damnum emergat, uti cum Bonacina Tom. 2. de Censuris. Disp. 1. q. 7. pun. 2. n. 5. docet Paleo Tract. 20. Disp. 3. pun. 7. n. 4. Ratio est; quia Falsum in illis, sub dictis poenis prohibetur non tam propter damnum inde secutum, quam propter contemptum supremæ Autoritatis, à qua Litteræ veniunt, & ut omnis occasio Falsi in his evitetur.

VI. Qui publicâ autoritate probatam Mensuram, aut pondera falsificant, præter ordinariam poenam Falsi ad duplum restituendum, nec non ad Insulam damnantur, l. Hodie. 32. §. 1. ff. Ad Leg. Cornel. h. t. ac insuper per triginta dies in pane & aqua sunt plebendi, c. Ut mensura. 2. de Emp. & vendi.

VII. Poena supponentis Falsum partam, est ultimum supplicium. l. 1. C. Ad Leg. Cornel. de Falsis.

VIII. Falsariorum à n. 16 usque ad 20. inclusivè enarratorum poena ordinaria arbitrio Judicis imponenda est, juxta dicta n. 27.

IX. Poena Falsificantium Monetam cudendo adulterinam modo num. 23. declarato, est varia, videlicet confiscatio omnium bonorum; damnatio ad bestias; ac ultimum supplicium igne inferendam. Sunt insuper rei Crimines læsæ Majestatis. l. 1. & 2. C. de falsa moneta & Ordinari Caroli V. art. 3. Committentes autem Falsum circa Monetam modo num. 21. & 22. explicato puniendi sunt arbitrio Judicis in corpore vel bonis pro diversitate & frequentia delicti, per Jura citata. Haunoldus Tom. 6. tr. 2. d. n. 455.

TITULUS XXI
De Sortilegiis.
SUMMARIUM.

- 1 Ratio continuationis.
- 2 Sortilegium largius, & propriè loquendo quid?
- 3 Sortes aliæ Divinatoriæ, & hæc prohibentur.
- 4 Aliæ consultoriæ.
- 5 Et aliæ divinatoriæ sunt.
- 6 Sortilegium variè dividitur.
- 7 Electio ad Officia Ecclesiastica per Sortes est illicita.
- 8 Et irrita.
- 9 Solvitur Objectio.
- 10 Et confirmatur prior doctrina.
- 11 Magia quid? & quatuorplex?
- 12 Superstitiosus habet duplicem finem.
- 13 Poenæ Sortilegii, & Magiæ de Jure Canonico contra Laicos.
- 14 Et contra Clericos, ac n. seq.
- 15 Allegantur plures Constitutiones Pontificiæ contra Sortilegos, & Maleficos.
- 16 Poenæ Sortilegii, & Magiæ de Jure Civili.
- 17 Sortilegium & Magia sunt mixti furi.
- 18 Potestque Judex Ecclesiasticus hujus Criminis Reos tradere Curie seculari puniendos absque ullo periculo Irregularitatis Jure ordinario.

Quoniam Sortilegia cuncta etiam aliquam in se continent Falsitatem, hinc tanquam Falso affinita merito post Titulum de Crimine falsi, præsens subiungitur.

Queritur I. Quid? & quatuorplex sit Sortilegium? Resp. I. Quamvis generalitè loquendo nomine Sortilegii, & per Rubricam hujus Tituli veniant

om.

omnes Superstiones, Divinationes, & Magie, ut bene advertit Engel h. t. nu. 1. proprie tamen & specialiter loquendo, Sortilegium est Divinatio, qua per Sortes Divinatorias, & falsa signa, ope demonis futura, vel occulta manifestantur, ita in re Communis, patetque definitio ex terminis, solum notandis terminis per Sortes Divinatorias.

Sciendum namque triplicis generis esse Sortes, videlicet, Divinatorias, Consultorias, & Divisorias; Divinatorie sunt, quae adhibentur ad cognoscendum aliquod occultum, vel futurum, quod naturaliter sciri non potest, v. g. quis sit author talis furti, quid imposterum sit futurum, & hujusmodi, quod damnatur, ac fieri prohibetur c. 1. h. t. Imo hoc genus Sortium passim fuit pro ipsa Divinatione, Sortilegio, aut Maleficio, indeque gravissime sub poena Anathematis prohibetur can. Sortes 7. 26. q. 5. & alibi: nam cum DEO (suppono enim, hujusmodi Sortes non adhiberi ex speciali instinctu & jussu DEI) neque alio naturali modo consequenter habetur a Demone; qui vel expresse, vel tacite imploratur.

Sortes Consultoriae sunt, in quibus a DEO postulatur occultae veritatis manifestatio, aut anticipatis Consilii alicujus directio imploratur. Et haec Sortes, sicut, si DEI jussu aut instinctu fiant, non sunt illicitae, de quibus dicitur Proverb. 16. Sortes mittuntur in finem, sed a Domino temperantur. Sic quippe peccatum Achur Sortis deprehensum est, Josue 7. Saul missis Sortibus in universas Tribus Israel electus in Regem, 1. Reg. 10. Sanctus Matthias Sorte in Collegium Apostolorum assumptus: ut taceam plura exempla, quae referuntur cau. 26. quest. 2. Tamen regulariter, & extra casum, quo urgente necessitate voluntas Divina aliter investigari non potest, non licent, ut cum D. Thoma 2. q. 35. art. 5. bene advertunt DD. Ratio est; quia qui sine necessitate, praetermissis ordinariis mediis ad extraordinarium ac miraculorum DEL auxilium recurrit, videtur tentare DEUM, & se exponere periculo, ne decipiatur a Demone.

Sortes Divisoriae sunt, quae assumuntur ad dividendas res inter plures, vel ad dirimenda litigia, & hujusmodi. Et haec per se male non sunt, sed saepe bonae ac utiles, juxta illud Proverb. 18. Contradictiones comprimunt Sortes, & inter potentes quoque dividuntur. Sic de Jure communi, si plures, quibus optio alicujus rei fuit relicta, discordant in eligendo, Sorte dirimitur lis, arg. 1. Si duobus. C. Communia de Legatis. Omitto similia exempla in praxi passim occurrentia, quorum aliqua refert Glossa c. fin. h. t. v. In Electionibus. Uius tamen etiam harum Sortium illicitus est in Electione per dicenda n. 7.

Resp. II. Sortilegium supra n. 2. definitum varie dividitur pro varietate nempe signorum, & rerum, per quas exercetur. Nam, ut bene explicat Bordonus Tom. 1. Resolut. q. n. 11. Si Sortilegium fit per terram, est, & vocatur Geomantia: si per aera, Aeromantia: si per aquam, Hydromantia: si per ignem, Pyromantia: si per animalium interiora, Haruspicium: si per avium volatum, Auspicium: si per avium garritum & voces, Augurium: si per inspectionem pedum, Pedomantia: si per inspectionem manuum, Chirromantia: si per hominum voces, Omen: si per eorum somnia, Onyrattica: si per signum totius corporis, Physognomia: si per signa spatulae, Spatulomantia: si per signa frontis, Metoposcopia: si per homines vivos arreptos, Phytontia: si per corpora assumpta mortuorum, Necromantia: si per inspectionem astrorum, Astrologia judiciaria dicitur.

Queritur II. An etiam in Electionibus valeat usus Sortium divinatoriarum, aut consultatoriarum,

puta, si duo Electi habeant paria vota, & neutra Eligentium pars velit cedere, an Sorte possit dirimi quaestio? Ratio dubitandi est; quia imprimis in tali casu censetur quilibet sufficienter idoneus; unde non mittitur Sors simpliciter super Electione. Deinde favet exemplum electionis S. Matthiae Apostoli, Act. 1. Tamen Resp. I. In Electionibus ad Dignitates, & Officia Ecclesiastica de Jure Canonico Sortium usus est absolute & sine restrictione damnatus. Ita habetur c. fin. h. t. ubi Glossa §. in Electionibus, solvit instantiam exemplo S. Matthiae propositam, dicens, id factum esse Divina inspiratione. Accedit ratio; quia Electio personarum Ecclesiasticarum ad Dignitates & Officia debet fieri ex delectu, & cum ratione attendendo ad capacitatem & merita personarum; unde non est casus & caecae fortunae temere subicienda, ne contingat eligi minus dignum, & minus habilem.

Resp. II. Electio ad Beneficia Ecclesiastica per Sortes facta, est ipso Jure nulla. Ita Zuesius h. t. n. 5. Ratio est; quia est contra formam Electionis in c. Quia propter. de Election. praescriptam, qua forma non servata decernitur, factam hujusmodi Electionem ipso Jure esse nullam & invalidam; siquidem inter alia ibidem statuitur, ut Electio fiat vel per formam scrutinii, vel compromissi, vel inspirationis.

Nec obstat, quod Papa c. fin. h. t. hujusmodi Electionem dicat tantummodo esse reprehensione dignam, non autem ipso Jure nullam, imo eandem postmodum confirmet. Resp. enim cum Zoesio h. t. n. 5. in dicta Electione non intervenisse vitium contra formam in c. quia propter. de Election. praescriptam, cum fuerit celebrata per compromissum; quamvis interveniret alius error, eo quod Compromissarii Sorte fuerint electi, quod ipsum de Jure Canonico est prohibuit. Licet igitur hac de causa potuisset illa Electio irritari, tamen ipso Jure irrita non fuit: Papa vero ex gratia eam confirmavit, ut notat Glossa ibidem v. Ad gratiam.

Resp. III. Quamvis ex natura rei & per se loquendo non esset illicita Sors, praecipue ubi duo sunt aequae idonei, aut paribus Eligentium votis suffulti; nihilo minus ex vi Juris Canonici veritas est, Electionem fere divisionem neque in isto casu esse licitam. Ita Zoesius n. 4. siquidem c. c. fin. h. t. generaliter Sortium usus in Electionibus perpetua prohibitione damnatur. Deinde cit. c. Quia propter. de Electionibus. omnis Electio aliter facta quam per formam scrutinii, compromissi, vel inspirationis est nulla, ergo.

Queritur III. Quid, & quotplex sit Magia? Resp. I. Magiam esse artem seu rationem operandi mira. Dividitur in naturalem, & superstitiosam seu diabolicam. Illa est, quae per causas naturales absque Daemonis ope quaedam producantur mirabilia. Haec vero, seu superstitiosa est, quae Daemonis ope mira facit.

Superstitiosa, seu diabolica duplicem habet finem, videlicet primò propriam offensionem, aliudve proprium vel alienum commodum ope Daemonis consequendum. Secundò noxam alteri ope Daemonis inferendam; quae noxa fit illata Maleficio vel Veneficio vocatur: prout amplius diximus in Theologia nostra Morali Tr. V. D. 1. II. ubi etiam alia ad propositum adduximus.

Queritur IV. Quae Sortilegia & Magiae? Resp. I. De Jure Canonico, Laici Sortilegi si admittunt se non enident, & servi vel viles existunt, verberibus & cruciatibus castigandi sunt; liberi vero, ac honestiores in perpetuum carcerem sunt redigendi, can. Contra, 10. can. 26. q. 5. ac etiam excommunicandi.

siandi. can. Admoneant. 15. in fine. ead. cau. q. 7. possunt etiam ab Episcopo turpiter dehonestari, & è Diocesi ejici, can. Episcopi 12. cau. 26. q. 5. princ. ac insuper si Magie luti rei, Curiae saeculari tradi per Bullas infra citandas.

14 Clerici vero Sortilegi ab Officio & Beneficio deponi, siquae depositi in Monasterium (hodie in perpetuos carceres, juxta dicta num. 29.) detrudi debent, can. Oportet. 4. & duobus seq. cau. 26. q. 5. quod si etiam Magia rei sunt, degradari quoque, & Curiae saeculari tradi debent, can. Admoneant. 15. cau. 26. q. 7. in fine.

15 Porro tam Laici, quam Clerici Sortilegi de Jure Canonico sunt infames, can. Constitutum 9. cau. 3. q. 5. Et si Sortilegium haereticum admixtam habeat, aut sapiat, ut si Daemon invocetur, colatur, vel quando ea, quae soli Deo competunt, colatur, vel quando ea, quae soli Deo competunt, Deo negantur, & Diabolo attribuerentur, subjacet Haereticorum poenis supra Tit. VII. §. 5. & 6. enarratis.

16 Extant insuper de poenis, & judiciis contra Sortilegos, Maleficos &c. Speciales Constitutiones Innocentii VIII. Summis, Tom. I. Leonis X. Honoris. Tom. I. Gregorii XV. Omnipotentis. Tom. III. & Sixti V. Cui & terra. Tom. II.

17 Resp. II. De Jure Civili Sortilegi, & multò magis Magie superstitiosae rei poenam publicationis omnium honorum, & ultimi supplicii etiam aliquando per ignem inferendi incurrant, l. Nullus, 3. & l. Nemo, 5. de Maleficis. Per Constitutionem vero Caroli V. Magiam cum damno tertii exercentes igne cremandi, sine aliorum damno autem ejusdem rei arbitrariae Judicis poena, v. g. relegationis, carceris, vel etiam ultimi supplicii pro diversitate circumstantiarum puniantur, Engel h. t. in fine.

18 Queritur V. Quis sit Judex Sortilegii, & Magie? Resp. esse mixti Fori, ita ut non tantum Clericos, sed etiam Laicos hujus criminis reos Judex Ecclesiasticus judicare valeat. Sanchez lib. 2. Moral. cap. 38. n. 92. Abbas in c. v. h. t. n. 3. Pirhing h. t. n. fin. Clarus §. Haereticus, n. 25. ipsoque teste communis, arg. can. contra idol. 10. cau. 26. q. 1. Estque jurisdictio in Sortilegos & Magos &c. etiam Ecclesiasticis Judicibus specialiter attributa per Bullam Sixti V. Cui & terra, quae est VII. hujus Papae in Tom. 2. Bullarii Cherubini.

19 Illud etiam hic notandum, quòd si Judex Ecclesiasticus Sortilegum & Maleficum Curiae saeculari tradendum invenit, id facere possit absque ullo periculo irregularitatis, & sine obiecta specialitate Papae, Jure ordinario, per Jura citata; ita tamen, ut si Clericus Curiae saeculari tradatur, prius degradetur, prout bene advertit Delrio Disquisition. Magic. lib. 5. §. 16. de Poena, & supplicio Maleficorum, ubi etiam formam Sententiae contra Maleficos, & traditionem ad Curiam saecularem exhibet, apud quem insuper copiose & exacte invenies, quaecunque circa hanc materiam desiderari possent.

TITULUS XXII.

De Collusione detegenda.

SUMMARIUM.

- 1 Collusio quid?
 - 2 A Civilis vocatur Praevicatio, vel Tergiversatio.
 - 3 Non datur in Civilibus, sed tantum in Criminalibus, & Beneficialibus causis.
- Reiffenstuel Jus Can. Tom. V.

4 Et fieri potest non tantum inter Actorem, & Reum, sed inter Advocatos, & Procuratores.

5 Si Accusator per Collusionem ab accusatione desistit, potest, & debet Judex ex Officio inquirere.

6 Delicta non debent manere impunita. Ibid.

7 Reus per Collusionem absolutus, potest demò accusari, & inquiri.

8 Solvitur Obiectio: semel absolutus per sententiam à delicto, super illo amplius molestari non potest.

9 Pena Collusionis in materia Criminali,

10 Et Beneficiali.

Queritur I. Quid sit, & circa quas causas fiat Collusio? Resp. I. Collusio est latens & fraudulenta inter Actorem, & Reum conventio; ut explicat Glossa in c. Audivimus. h. t. §. Collusione, dum nempe Actor cum Reo colludit, ejusque partes tacite adjuvat, tacendo viphelicet, vel omitendo veras probationes, & falsas defensiones, aut exceptiones admittendo, vel ab Accusatione desistendo, arg. c. 1. & fin. h. t.

Haec Collusio à Civilibus vocatur Praevicatio, & Tergiversatio, & Colludentes dicuntur Praevicatores, vel Tergiversatores. Et quidem Praevicatio vocatur, quando Accusator proprias probationes dissimulat, vel falsas Rei exceptiones admittit, ne puniatur, l. 1. & l. Ab Imperatore ff. de Praevicatis, Tergiversatio vero, quando Accusator ab accusatione jam coepta omnino desistit.

Resp. II. Quamvis nonnulli cum Hostiensii velint, Collusionem committi posse tam in Civilibus, quam Criminalibus causis, tamen melius dicitur cum Mascardo de Probat. Concl. 322. n. 6. eam non nisi in Criminalibus, & Beneficiis Ecclesiasticis committi juxta c. Audivimus. 3. h. t. minime vero in Civilibus, nisi in praedictum tertii vel in causa matrimoniali colludatur. Ratio est; quia in Civilibus licita est transactio, concordia & amicitia Litigantium, vel totalis litis sabbatio, hoc ipso quòd agatur tantum de privato Interesse ipsorum. Dum econtra in Processu Criminali agitur de bono communi exigente, ne delicta maneant impunita, c. Ut fama. de Sent. Excomm.

Ceterum Collusio tam per Clericos, quam Laicos, & quidem non tantum inter Principales, sed etiam per Advocatos, & Procuratores, dum videlicet horum aliquis in praedictum sui Principalis cum altero Principali vel Advocato illius colludit manifestando ei secreta, vel dissimulando, aut non refutando refutanda, vel probationes efficaces omitendo &c. Notandum tamen, quòd ita male procedendo Advocati Collusores proprie loquendo non dicuntur, sed tantum improprie arg. l. 1. de Praevicatis, ibi: Ceterum Advocatus non proprie Praevicator dicitur. Unde etiam potius Falsarius, quam Collusor dicitur, & poenis Falsi subjacet per dicta Tit. XX. n. 8. & n. 30. Quamvis etiam respectu talis improprie dicte Collusionis poena extraordinariae subit, c. l. 1. ff. de Praevicatis, ibi: Hae extraordinariae solent puniri.

Queritur II. Quid Juris, & quae poenae sequantur, casu, quo fiat Collusio? Resp. I. Si Accusator Criminalis ab Accusatione desistit, potest, imò debet Judex ex Officio inquirere & procedere arg. c. 1. & 2. h. t. ibi: Criminali semel audita Gregorius indiscussa nullo modo praeteribit, etiamsi Accusatus cum Accusatore in gratiam redisset. Ratio est, ne Crimina jam semel publicata maneant impunita, l. Ita vulneratus. ff. ad Leg. Aquil. & c. Ut fama 35. de Sentent. Excomm. ibi: Cum publice Communitatis intersit, ne crimina maneant impunita.

Resp. II. Si Reus interveniente Collusione per sententiam fuit absolutus, potest demò accusari, & inquiri.

quirit contra illum, quando de Collusione constat, arg. c. fin. h. t. & l. Prævaricationis. 3 §. ff. de Prævaricat. junctâ l. Si quis. 11. C. de Accusar. Ratio est: Tum ne delicta maneant impunita, contra cit. c. Ut fame. 25. de Sentent. Excommun. Tum ne Reus ex sua malitia commodam reportet, contra l. i. ff. de Dolo.

7. Nec obstat, quod sententia Judicis absolutoria ita tollat crimen, ut de illo queri non amplius possit, arg. l. Si cui 7. §. 2. ff. de Accusation. & c. De his. 6. eod. ibi: De his criminibus, de quibus absolutus est accusatus, non potest accusatio replicari. Respondetur enim, quod sententia per Collusionem lata sit nulla, & perinde ac si lata non fuisset, l. Præses. 5. C. de Pignor. & l. Cum non. 3. ff. h. t.

8. Resp. III. Quamvis enim Collusionis, seu Prævaricationis sit arbitraria, seu extraordinaria pro diversitate circumstantiarum imponenda i. Sciendum. 2. ff. de Prævaricat. ibi: Sciendum est, quod hodie iis, qui prævaricati sunt, pena injungitur extraordinaria, junctâ l. i. §. Si quis. 7. & l. 2. ff. ad S. C. Turpil. tamen Prævaricator etiam poenam infamiam in specie incurrit l. Si is. 4. ff. de Prævaricat.

9. Resp. IV. Si Collusio fiat super Beneficio Ecclesiastico (cujus Collusionis casus aliquis narratur c. Audivimus. 3. h. t.) uterque Colludentium ipso privari debet Beneficio: Tum ne frans & dolus alicui patrocinetur, uti habetur, cit. c. 3. h. t. Tum ne delicta maneant impunita contra Jura nu. 5. allegata.

TITULUS XXIII.

De Delictis Puerorum.

SUMMARIUM.

- 1 Infantes qui dicantur? non subjacent pœne Criminali.
- 2 Nec pueri infantie proximi.
- 3 Bene verò Pueri pubertati proximi: ita tamen ut à pœna Capitali sint immunes.
- 4 Nisi crimen profus enorme committant.
- 5 Et Minores ordinariâ pœnâ affici possent, tamen regulariter mitius puniuntur.
- 6 Ob peccata Commissionis nullam pœnam Criminalem incurrunnt Minores, nisi ex dolo deliquant.

Multa huc usque dicta sunt de variis delictis, & pœnis eorum; jam verò in præsentî Titulo queritur: Num etiam, & qualiter Pueri subjaceant pœnis delictorum hæctenus recensitorum, casu, quo aliquod ex eis committunt? Resp. I. Infantes, id est Pueri, qui necdum compleverunt septimum annum ætatis, l. Si infanti. 18. C. de Jure deliberandi. exculantur à delictis, & pœnis per Leges statutis; cum doli capaces non sint, & quod agunt, ignorent: arg. l. Et si ff. ad Leg. Aquil. & l. Infans. ff. ad Leg. Cornel. de Sicariis: ubi dicitur, quod si Infans damnum fecerit, aut aliquem occiderit, non teneatur ad pœnam. Concordat Clem. un. de Homicidio.

2. Resp. II. Pueri quoque infantie proximi, id est, septennio non multum Majores, à pœnis delictorum à se commissorum immunes sunt. Farinacius quest. 92. numer. 26. Carpz. Prax. Criminal. p. 3. quest. 143. nu. 130. Ratio est; quia etiam hi sufficienti judicio carent, & non multum distant à furiosis, ut dicitur §. Sed quod. 10. Inst. i. de Inutil. stipulat.

Resp. III. Pueri pubertati proximi, sicut & alii, qui infantiam egressi, doli capaces sunt (quod Judicis arbitrio relinquunt, estque ex circumstantiis dijudicandum, cum contingat alios alius maturis judicio pollere) si aliquod crimen Commissionis perpetraverint, putâ, furtum, mendacium, perjurium, homicidium, vel hujusmodi, omnino etiam Criminaliter puniri possunt, mitius tamen, quam si ab aliis crimen esset commissum, c. i. h. t. aded ut et si crimen Capitale committant, ultimo supplicio affici non possint, nec etiam torqueri, l. 1. §. 33. ff. de S. C. Silan. Ratio est; quia ob defectum judicii, & prudentie mitius malitiosè & dolosè delinquere præsumuntur, quam ætate provectiores, & ided etiam mitius, quam isti puniuntur, argum. l. Ferè in omnibus. ff. de R. I.

Notat tamen bene Farinacius Tom. 3. Tit. de Pœnis temperandis. q. 92. quod si Pueri in Conclusionem præcedenti specificati crimina profus enormia committant, nec spes emendationis sit, uti in Veneficiis, etiam ultimo supplicio affici queant, arg. l. Exciipiuntur. 14. ff. ad S. C. Silan. & Consiuit. Caroli V. art. 164. quam etiam de Crimine lætæ Majestatis procedere, defendit Decianus apud Farinacium loc. cit. n. 107.

Resp. IV. Quamvis consecuti pubertatem (quæ in materia Criminali tam quoad feminas quam masculos habetur exacto anno decimo quarto) sed Minores adhuc viginti quinque annis, ob delicta Commissionis puniri possint pœnâ ordinariâ, arg. l. Si ex causa. 9. ff. de Minor. ibi: Placeat in delictis Minoribus non subveniri: & l. Auxilium. 37. §. 1. ff. eod. tamen regulariter loquendo, & nisi alia delictum aggravantia concurrant, Juxta Minores mitius punire potest, & solet, quam Majores, arg. l. Auxilium. ff. de Minorib. ibi: In delictis autem Minor annis viginti quinque non meretur in Integrum restitutionem, nisi quatenus interdum miseratio ætatis ad mediocrem pœnam judicem produxerit. Concordat l. Ferè in omnibus. ff. de R. I. ibi: Ferè in omnibus pœnalibus judiciis & ætatis, & imprudentia succurritur. Clarus §. fin. q. 60. n. 3. Farinac. cit. q. 92. n. 41. & alii.

Dicitur autem notanter in utraque præcedenti Conclusionem, ob crimen Commissionis; quia ob peccata Omissionis non solum pueri pubertati proximi, sed etiam puberes, Minores tamen, à pœnis Criminalibus sunt immunes, ut cum pluribus aliis bene notat Farinacius loc. cit. num. 69. & 72. arg. l. licet. 2. C. Si adversum delict. & l. Minoribus. 6. C. de His, qui ut indigni. Ratio est; quia imprudentia potius, quam malitia præsumuntur tales omittere debita; consequenter intrat Regula suprâ citata Ferè in omnibus; Nisi forsan probeatur, etiam tales omittendo commississe dolum, tunc enim & hi pœnis subjacerent, cit. l. Exciipiuntur. 14. ff. ad S. C. Silan.

TITULUS XXIV.

De Clerico Venatore.

SUMMARIUM.

- 1 Ratio continuationis.
- 2 Venatio alia est oppressiva omninò illicita.
- 3 Alia Arenaria, pariter prohibita.
- 4 Alia Sylvatica de qua in præsentî.
- 5 Venatio Sylvatica quæta, & moderata rarè facta, etiam Clericis est licita.

6 Non

- 6 Non verò tumultuosa, & clamorosa, nec moderata nimis frequenter facta.
- 7 Ratio, cur Venatio Clericis sit prohibita.
- 8 Sententia Patrum contra Venationem.
- 9 Pœna Clerici Venatoris.
- 10 Sunt hodie abrogata.

Hæctenus actum est de Delictis communibus tam Clericorum, quam Laicorum: Nunc incipit Compiler agere de peculiaribus quibusdam Clericorum delictis, incipiendo de Venatione, quæ licet secundum se sit licita, de Jure tamen est prohibita Clericis, ut statim patebit. Nam

1. Queritur I. An, & qualis Venatio? quibusque sub pœnis prohibita sit Clericis? Ante responsionem notandum cum Sylvestro §. Venatio, & aliis tres præcipue esse species Venationis. Prima est, & dicitur Oppressiva, sic dicta, quia per eam homines injulte gravantur, & quasi opprimuntur: & hanc illicitam esse, nemo negat, arg. can. & §. fin. dist. 6.

2. Secunda est Arenaria, quæ per pugnam cum Bestiis in arena pro questu exercetur, & hæc non tantum Clericis prohibita, sed etiam respectu Laicorum infamie inductiva est, l. 1. §. 1. v. Item. ff. de Possuland.

3. Tertia est Sylvatica, quæ ad ferarum, & volucrum captiorem, vel eadem instituitur sine oppressione. Et proprie dicitur Venatio, & de qua in præsentî agitur. Hinc ad Quætionem

4. Resp. I. Quamvis hoc Titulo per duo Capitula prohibeatur Episcopis, Presbyteris, & aliis Clericis, utpote servitio Divino specialiter addicis, ne insistant Venationes, aut sylvaticas vagationes cum canibus, & accipitribus, aut falconibus; ac ne canes, & accipitres, aut hujusmodi ad venandum habeant. Eademque prohibitio habetur in Concilio Tridentino Sess. 24. cap. 12. de Reform. ac respectu Religiosorum specialiter in Clem. 2. §. Porro. de Statu Monachor. tamen Jura hæc intelligenda non sunt de Venatione quæta, & moderatâ, rarè factâ, sed tantum de tumultuosa, & clamorosa, quæ magno cum apparatu, tumultu, & strepitu canum & armorum fit; aded ut Venatio quæta & moderata, quæ sine magno strepitu, est aliquibus cum retibus, & laqueis, ac paucis canibus, ad capiendos, aut feriendos lepores, volucres, abasque feras minores instituitur, Clericis interdicit non censetur; sive dein fiat causâ necessitatis ad tollendas feras noxias vineis, segetibus &c. sive causâ utilitatis, ut dum ex tali Venatione partem reddendum, vel alias fructum notabilem percipiunt, vel causâ honestæ distractionis, recreationis, & sanitatis, uti cum Glossa in c. 1. h. t. v. Voluptate, communiter docent Doctores, & in specie Abbas in cit. c. 1. h. t. numer. 1. & ibi Hostiensis, & Barbosa numer. 2. Sylvester v. Venatio, Beller. Disquisit. Cleric. p. 1. Tit. de Disciplina Cleric. §. 19. Pirling h. t. nu. 3. & alii, id idem sentientes ex Concil. Trident. Sess. 24. cap. 12. de Reformat. ubi non omnes, sed illicitæ tantum Venationes interdiciuntur Clericis: ibi: ab illicitis Venationibus &c. quales non videntur quæta & moderatæ raro factæ. Accedit consuetudo, optima Legum interpretes, quæ constat, hujusmodi Venationem passim etiam à doctis & timoratis Clericis, pro licita reputari, indeque sine scrupulo practicari.

5. Resp. II. Venatio tumultuosa & clamorosa, quæ magno armorum, retium, canum, accipitrum apparatu, tumultu, & vehementiâ fit, uti contingit, dum instituitur ad capiendos, vel feriendos Apros, cervos, aliavæ præsertim majores feras, & aliquando etiam aves, omninò prohibita est

Reissensius Jus Can. Tom. V.

Clericis; sicut & Venatio quæta, nimis tamen frequenter facta, ita Communissima Doctorem arg. cit. c. 1. & 2. h. t. ibi: Omnibus servis DEI venationes, & sylvaticas vagationes cum canibus, & accipitres, aut falcones habere interdicitur: juncto Concil. Trident. cit. Sess. 24. cap. 12. de Reformat. ibi: ab illicitis Venationibus abstantur; cum enim his Juribus aliqua Venatio procul dubio sit prohibita Clericis, quæta verò, & moderata rarè facta sit licita, per dicta, certè saltem tumultuosa & clamorosa, nec non quæta, sed nimis frequenter facta erit prohibita.

Ratio autem, ob quam hujusmodi Venatio sit prohibita, est: Tum quia Venatio partim propter tumultum & clamorem fatis dissolvit, & dehonestat Clericalem modestiam; partim quia propter immitem calidi sanguinis animalium effusionem refert quandam speciem belli, simulque excitat in animis aliquam asperitatem, & truculentiam debite mansuetudini & lenitati Clericali valde adversam: Tum quia per Venationem etiam quietam nimis tamen frequentatam Clerici à Divinis Officiis, & Spiritualibus, aliisque Clericalem statum decentibus occupationibus abstrahuntur, hoc ipso, quod Venationi nimium dediti primas dicit curas, & primum idemque nobilissimum diei tempus, quod Divino obsequio, & præfatis occupationibus consecrare debent, investigandis, & inspectandis, capiendisque feris ac volucris impendant, prout cum aliis bene observat Gonzalez in c. 1. h. t. n. 7.

Hinc satis terribiles invenitur S. S. Patrum sententiæ Juri insertæ, uti c. Esau. 11. dist. 86. ibi: Esau venator erat, quoniam peccator erat, & penitus non invenimus in Scripturis sanctis Sanctum aliquem Venatorem, & Pescatorem invenimus sanctos, & can. An putatis. 13. eod. dist. ibi: An putatis illum jejulare fratres, qui primo diluculo non ad Ecclesiam vigilat, non beatorum Martyrum loca sancta perquiri, sed surgens congregat servulos, disponit retia, canes producit, falcos, sylvaticos perlustrat, servulos inquam secum protrahit, forsan magis ad Ecclesiam festinantes, & voluptatibus suis peccata cumulat aliena nesciens reum se futurum, tam de suo, quam de perditione servorum.

Resp. III. Pœnæ Clericorum illicitam Venationem exercentium habentur c. 1. h. t. illis verbis: Episcopum, Presbyterum, aut Diaconum canes, aut accipitres, aut hujusmodi ad venandum habere non licet: quod si quis talium personarum in hac voluntate sepius detentus fuit; si Episcopus est, tribus mensibus à communione; si Presbyter duobus, si Diaconus ab omni Officio suspendatur; quam Suspensionis pœnam etiam ad Subdiaconum extenbit Glossa in cit. c. 1. h. t. Minoritas verò Clericos arbitrio Judicis plectendos tradit ibid. Ancharanus, & Hostiensis in Summa n. 4.

Verum hæc pœnas consuetudine abrogatas notat Wagnereck h. t. quæ consuetudine etiam derogatum esset Canonibus, si qui essent, quibus talis quoque Venatio, & requisita ad eam, v. g. canes, retia &c. prohiberentur, quæ nec ab Officiis Divinis avocant, nec mansuetudini Clericali contraria sunt: Cum enim talis Venatio, & requisita ad eam ex se indifferentia, & Jure naturali permilla sint, arg. §. Ferè. 12. Instiuit. de Rerum divis. utique valebit consuetudo contra legem talia prohibentem, argumens. c. fin. de Consuetud.

TITULUS XXV.

De Clerico Percussore.

SUMMARIUM.

- 1 Ratio Ordinis.
- 2 Clerici Laicum etiam delinquentem propriis manibus percutere non possunt.
- 3 Limitatio remissiva.
- 4 Poena Clerici Percussoris.
- 5 Praesertim lethalis, vel enormis.
- 6 Superiores Ecclesiastici possunt causam correctionis, verberibus castigare Clericos sibi subditos.
- 7 Episcopus tamen propriis manibus etiam correctionis causam verberare neminem potest: sed de Jure id facere debet per alium Clericum: de consuetudine vero etiam per Laicum.
- 8 Superiores Regulares habent privilegium per suos Laicos Religiosos seu Conversos verberibus castigandi suos subditos Clericos causam correctionis.
- 9 Magistri, Praeceptores, Moderatores, Clerici possunt sibi commissos discipulos tam Laicos, quam Clericos causam correctionis leviter, et moderate percutere: Item valent seniores Sacerdotes respectu Juvenum turbantium Officium Divinum.

UTI Venatio sic etiam Percussio, seu rixatio repugnat mansuetudini, lenitati, & modestiae Clericali. Hinc post illam de hac re recto ordine agitur praesenti Titulo.

Quaeritur An, & qualiter, quibusque sub Poenis prohibita sit Clericis percutere Laicum? Resp. I. Specialiter cuius Clerico praesertim in Majoribus constituto prohibita est Laicum etiam delinquentem, sive fidelem, sive infidelem propriis manibus percutere. Communis & certa per clara Jura can. 1. & can. Episcopus 7 dist. 45. ibi: Episcopus, aut Presbyterum, aut Diaconum percutientem fideles delinquentes, aut infideles inique agentes, desici ab Officio suo precipimus. Concordat can. Non licet. 25. dist. 86. ibi: Non licet Episcopo manibus suis aliquem caedere, hoc enim alienum a Sacerdote esse debet. Et c. 1. h. t. ibi: Si quis in aliquo gradu sacro percussor extiterit, corripitur a crimine, & si se emendaverit, deponatur. Ratio jam supra insinuada est; quia percussio repugnat modestiae Clericali, ac mansuetudini Christi, quam imitari debent Clerici. Hinc cit. can. Episcopus, postquam percussio prohibita fuit, additur: Qui nunguam nos docuit hoc Dominus. Econtrario vero ipse, cum percuteretur, non percutiebat; cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur.

Limitatur tamen Conclusio in casu, quo Clerici Praeceptores, Moderatores, & Magistri leviter, & moderate percutiant sibi commissos Discipulos, juxta dicenda num. 9.

Resp. II. Poena Clerici Percussoris est, quod in primis pro qualitate, & circumstantia percussoris notabilis debeat corrigi, aut corripi, & puniri arbitrio Judicis: Postea vero si se non emendet, sed saepius ac forsitan etiam ob leves defectus percutiat, ita ut ex indignatione, & quadam iracundia ad verbera statim procedere soleat, tanquam inhumanus & ferus, statimque Clericali indignus deponi possit, & debeat, arg. c. 1. h. t. cujus textum lege nam procedent. Glossa & Doctores ibid. communiter: Bene tamen inferentes, propter unam etiam

notabilem, & gravem percussorem Laici, Clericum poenam Depositionis non incurere, sed aliter corripi debere, nisi percussio hujusmodi lethalis, vel fatalis enormis esset.

Enim vero etiam ob unicum, lethalem tamen, vel enormem percussorem Clericus deponendus est, Glossa in c. 1. h. t. & ibi Hostiensis, Pirhing h. t. n. 2. arg. can. fin. dist. 25. Et c. 2. h. t. Ratio est; quia gravissimum advertebatur statui, modestiae, & mansuetudini Clericali hujusmodi percussio.

Quaeritur II. An, & qualiter prohibita, vel permittitur sit Superioribus Ecclesiasticis tam secularibus, quam Regularibus correctionis causam percutere, seu verberibus castigare, & punire Clericum subditum? Resp. Possunt Episcopi, & Superiores Regulares, Clericos sibi subditos, & quidem existentes in Minoribus etiam propter leves defectus: constitutos autem in Majoribus, seu sacro aliquo Ordine initiatos, non nisi propter graves excessus, vel delicta (inter quae etiam Ebricitas numeratur) verberibus castigare, can. Cum latatus. 8. dist. 45. & can. fin. dist. 35. & ibi Glossa v. Corporali communi recepta.

Notandum tamen, quod Episcopus propriis manibus etiam correctionis causam percutere non possit Clericum, cit. can. Non licet. 25. dist. 86. sed id committere debeat alii alteri, & quidem Clerico, adeo, ut si id Laico committeret, tam ipse committens, quam Laicus ex mandato percussus Clericum, essent excommunicati, arg. c. Universitatis. 24. de Sentent. Excommunic. & ibi Barbosa num. 2. Navarrus h. t. Const. 42. Pirhing. h. t. n. 1. nisi forsitan aliquid esset consuetudo legitime praescripta, quod Episcopi per Laicos verberibus castigant Clericos delinquentes, prout de Gallia testatur Barbosa loc. cit. & eandem passim vigere, atque rationabilem, & in Jure fundatam esse, dicunt alii, arg. c. Clerici. 15. de Sentent. Excommunic. in 6. ubi Superioribus Ecclesiasticis permittitur, quod etiam per Laicos violententer capere, & incarcerare valeant Clericum delinquentem: Idque merito; ne alias contra cit. c. Famae. 35. de Sentent. Excommunic. delicta maneat imposita: cum difficile sit reperire Clericos, qui velint se suscipere munus capiendi, carcerandi, & verberandi alios delinquentes Clericos.

Resp. II. Quamvis Superiores Ecclesiastici Episcopo minores, praesertim Regulares in casu, quo causam correctionis oportet verberare subditum Regularem, id facere deberent manu propria (nisi necessitas aliter urgeat) ut clare decisum habetur c. Universitatis. 24. de Sentent. Excommunic. Tamen Superiores Fratrum Minorum ex speciali privilegio Summorum Pontificum Alexandri VI. & Leonis X. etiam extra causam necessitatis subditos Religiosos per aliquos suos subditos Fratres Laicos seu conversos quoque verberibus castigare valent; ut videre est in Compend. Privileg. v. Absolutio ordinaria. num. 20. Et num. 25. quo privilegio etiam alias Religiones per communicationem gaudere recte docet Palao Tract. 29. Dist. 3. pun. 23. §. 3. n. 11.

Illud etiam hic advertendum, quod Clerici existentes Praeceptores, Moderatores, & Magistri Artium liberalium, si verbis nil efficiunt, verberibus etiam castigare valeant non tantum Laicos suae curae commissos, arg. can. Aut facta. 19. dist. 1. de Penitent. sed etiam Clericos c. 1. Et c. cum voluntate. 54. de Sentent. Excommunic. Ubi idem etiam extenditur ad alios seniores Clericos, eosque ab Excommunicatione immunes esse declaratur, qui Zelo devotionis pueros vel adolescentes in Minoribus Ordinibus constitutos turbantes divinum Officium leviter forsitan percussoribus; eo quod hujusmodi per-

percussiones causam correctionis adhibita, nec violentae, nec suadente diabolo censentur cit. c. 1. h. t. & ibi Abbas n. 1. Navarrus Manual. cap. 27. n. 81.

TITULUS XXVI.

De Maledicis.

SUMMARIUM.

- 1 Ratio Ordinis.
- 2 Maledictum, & Maledici qui?
- 3 Maledicti varia divisio.
- 4 In varios fieri potest.
- 5 Poena Maledicti in privatum.
- 6 Poena Maledicti in Imperatorem, vel alium Principem saecularem supremum: Et num. seq.
- 8 Poena Maledicti in Summum Pontificis Officium, 9 Et personam quae?
- 10 Si soli personae Episcopi Maledictum inferatur, ille Maledictum punire non potest.
- 11 Debet tamen Reus ab aliis puniri.
- 12 Judices saeculares punire debent injurias illatas Sacerdotibus, etsi hi non accusent. Ibid.
- 12 Poena Clerici Maledicti.
- 13 Et Religiosi, praesertim in Superiores: Et numer. seq.
- 14 Maledicti Religiosi, praesertim in Papam, Decreta Pontificia, Cardinales, Episcopos, aliosque saeculares, & Regulares Praelatos, aut Superiores.
- 15 Blasphemia quid? & quot modis fiat?
- 16 Alta est haereticalis, alia non haereticalis.
- 17 Poena Blasphemiae de Jure communi Canonico: Et n. seq.
- 19 Et per speciales Constitutiones Pontificias.
- 20 Poena Blasphemantium per Leonem X.
- 21 Et Pium V. constituta.
- 22 Poena Blasphemiae de Jure Civili.
- 23 Quae quibusdam in locis ex defectu Justitiae, & Religionis non observatur, aliis vero in locis adhuc in usu est.
- 24 Qui ex calore iracundiae blasphemat, poenam ordinariam non incurrit.
- 25 Si iracundia ex gravi, eaque justa causa proveniat.
- 26 Blasphemia per Sacramenta in his partibus consueti non subjacet ordinariae poena, bene tamen extraordinariae.
- 27 Judex Blasphemiae haereticalis est Ecclesiasticus.
- 28 Non haereticalis Blasphemia est mixti Fori: Et quomodo?
- 29 Judex saecularis etiam haereticae Blasphemiam in his partibus punit.

Por Titulum de Percussoribus recte sequitur de Maledicis; quia & hi in suo sensu sunt percussores, & Maledictum ipsorum percussio est lingue videlicet, ita ut sicut illi manu, ita hi lingua percutiant. De quibus

Quaeritur I. Quid? & quotuplex sit Maledictum vel Maledictio, & Maledici? Resp. I. Maledictum seu Maledictio, a male dicendo, vel loquendo sic nuncupatum, est, & dicitur, malum dictum, seu mala locutio de alio; & qui ita male loquuntur, Maledici vocantur. Ita in re Communis.

Resp. II. Maledictum dividitur in Detractionem, Calumniam, & Blasphemiam, indeque Maledici in Detractores, Calumniatores, & Blasphemos. Detra-

ctio, & Detractor est, quando quis de absente male loquitur, ejusque famam denigrat, aut minuit dicendo de illo, quod sit fur, v. g. homicida, mendax, fallax &c. Calumniator & Calumniator est, quando quis in faciem alterius, seu in praesentia illius malum obijcit. Blasphemia, & Blasphemator est, quando quis de Deo, vel Sanctis ejus male loquitur juxta magis dicenda infra num. 15.

Porro Maledictum, prout comprehendit Detractionem, & Calumniam, fieri potest vel in privatum, vel in Superiorem, praesertim supremum, eumque vel saecularem, v. g. Imperatorem, Regem, Principem, vel Ecclesiasticum, v. g. Papam, Episcopum &c.

Resp. III. Poena Maledicti in privatum commissi est, quod praeter reatum peccati, & obligationem restituendi famam Maledicti sit obnoxius Actioni injuriarum, & palinodia, seu reconvictioni arg. l. Item. 15. §. Generaliter. 27. ff. de Jurjur. Et Libell. fam. cum Concordantiis C. De quibus actionibus, & magis infra Tit. 26. de Injur. & damno dato.

Resp. IV. Quamvis olim poena Maledicti in Imperatorem, aut Principem saecularem fuerit eadem cum poena Criminis laesae Majestatis, teste Anthonio Commune allegante, lib. Adversus gentes, ubi ait: Majestatis sunt apud nos rei, qui de vestris sacris obmurmaverint Regibus; nihilo minus de Jure communi nulli certe, sed soli arbitrarie poenae ipsius Principis subest; ita tamen, ut etiam hic Maledictum in se constitutum, ut examinarum valeat, referri velit, tamen suadente lege & magnanimitate punire non soleat, nisi Maledictum in ipsum Officium Principis fiat, vel circumstantiae aliud suadeant, l. un. C. Si quis Imperatori: ibi: Si quis modestie nescius, & pudoris ignarus improbo, petulantique Maledictio nomina nostra crediturum lacepsenda, ac temulentia turbulentus obrevator temporum nostrorum fuerit; cum poena nolumus subjungere, neque durum aliquid, nec asperum volumus sustinere: quoniam si id ex levitate proferret, contemendum est: si ex insania miseratione dignissimum est: si ab injuria, remittendum. Unde integris omnibus, huc ad nostram sententiam referatur, ut ex personis hominum dicta pensemus, & totum praetermitti, an re quiri debeat, censeamus.

Dicitur autem notanter in Conclusione, nisi Maledictum in ipsum Officium Principis fiat &c. hoc enim, ubi contingit, utique puniri debet, & quidem graviter, arg. c. 1. h. t. ibi: Ut poena illius alitis terrorem incutiat, quod idem fieri debet, si verba Maledicti seditionem, turbulencias, aut alias periculosas sequelas minarentur, Menochius de Arbitr. Judic. casu 477. n. 7. & seq.

Resp. IV. Poena Maledicti in summum Pontificem quoque de Jure communi arbitraria pro qualitate delicti est, ita tamen, ut si Maledictum contra ipsam Sedem Apostolicam, seu Dignitatem Pontificiam, seu Officium & Primatum ipsius fiat, poena & quidem gravis atque exemplaris necessario imponi debeat, arg. c. 1. h. t. ibi: Quia nobis per litteras retulisti, quod Clericus multis coram adstantibus verba quaedam in depressionem Officii, & Beneficii nostri protulit; ipsum a temeritate sua compescas, ut poena illius alitis terrorem incutiat, ne de cetero in Romanam Ecclesiam in talia verba prorumpat: & ibi Doctores communiter.

Si vero in solam personam Papae, praesertim ex levitate, temulentia, insania, vel animi commotione fiat, mansuetudo Christi, cujus Papa in terris Vicarius est, omnino requirit, ut ipse Papa talem injuriam suae personae illatam, remittat, arg. can. Inter querelas. 27. cau. 23. q. 4. & l. Si quis. 10. C. de D d 3 Episc.

Episc. & Cleric. junctâ cit. l. un. C. Si quis Imperatori; si enim juxta hanc legem ipsi Principes sæculares suæ personæ Maledicentibus ignoscunt, multo magis id facere debet Papa, qui illis, in minoribus & mansuetudine exemplo esse debet. Exemplum infigne pro hac doctrina dedit Pius V. qui famulo carmine in sua persona gravissimè offensus, Reum deprehensum ad se adductum ita alloquebatur: Si tui mihi ut Summo Pontifici maledixisses, impune non ferres. Verum quia in fratrem Michaelem (hoc nomen ei ut Religioso erat) in Monachum Scarponensem &c. convitiâ jactasti, liber abi, quo vis. Ego vero humilitatem generis mei, vitæ, & habitûs semper animo retinebo, & libenter confitebor. Barboza in cit. c. 1. h. 1. n. 2.

10 Resp. V. Quamvis Episcopus aliquem ob Maledictum, soli personæ suæ illatum ipse punire non possit, prout notat Glossa communiter recepta in can. Inter querelas; ibi: Unde de cetero omnino esto circumspiciendus, atque sollicitus, & talia cuiquam pro defensione propriæ injuriæ tuæ inferre denud non presumas. Nam si tale aliquid feceris, in te scias postea vindicandum. Ratio est; Tum quia nullus Superiorem habens est Judex in propria causa, per Vulgaria: Tum quia Mansuetudo & Sanctitas Episcopi requirit, ut injurias suæ personæ illatas remittat, arg. l. Si quis. 10. de Episc. & Cleric. ibi: Cui sanctitas ignoscendi Gloriam dereliquit.

11 Nihilominus arbitrio alterius Judicis pro qualitate delicti puniendus est, qui Maledictio Episcopi affendit, ut bene advertit Hostiensis in Summa h. t. §. Alii maledicunt Principem. Farinacius Prax. Criminal. q. 105. n. 402. Et quidem Judices sæculares ex Officio punire debent illum, qui Maledictio Episcopi offendit, vel etiam Sacerdotem, vel Clericum, etiam si Episcopus, vel alii Clerici non accusent; quia universaliter loquendo debent Judices sæculares ex Officio punire quemlibet qui aliquam injuriam (qualis utique est etiam Maledictum) infert locis, aut personis sacris, uti expressè statutum habetur cit. l. Si quis. 10. C. de Episcopis, & Clericis. illis verbis: Si quis in hoc genus Sacrilégii proruperit, ut in Ecclesiis Catholicis, Sacerdotibus, Ministris, vel ipsi cultui, locoque aliquid importet injuriæ, quod geritur, à Provincia Rectribus animadvertatur; atque ita Provincia Moderator, Sacerdotum & Ecclesiæ Ministrorum, loci quoque illius, & cultus Divini injuriam capitali in convictos seu confessos Reos sententiâ noverit vindicandam; nec expectet, ut Episcopus injuriæ propriæ ultionem poscat, cui sanctitas ignoscendi gloriam dereliquit sitque cunctis laudabile, factas atrocēs Sacerdotibus & Ministris injurias veluti crimen publicum persequi, ac de talibus Reis ultionem mereri.

12 Resp. VI. Pœna Maledicti Clerici in specie præscribitur, can. Clericus. c. dist. 46. illis verbis: Clericus Maledicus (maximè in Sacerdotibus) cogatur ad postulandam veniam; si noluerit, degradetur; nec unquam ad Officiam absque satisfactione revocetur.

13 Resp. VII. Si Religiosi aliquem Ecclesiæ Prælatum Maledictio offendunt, aut detrahunt eidem, de Jure communi debent per duos menses subjacere illis pœnis, quæ juxta Regulas, vel Statuta eorum ob gravia crimina imponuntur, textu expresso Clem. 1. §. Quibus etiam, de Privileg.

14 Dicitur notante de Jure communi; quia præter hanc Juris dispositionem, Maledicti Religiosi per specialia Statuta graviter puniuntur. Et quidem in nostro Ordine Seraphico per Statuta Generalia Maledicti, seu qui malè loquuntur de summo Pontifice, vel Decretis & Constitutionibus Apostolicis, vel de Cardinalibus, vel de Episcopis, vel aliis Ecclesiæ Prælatibus, vel etiam de Superioribus Ordini-

nis, gravissimis subjiciuntur pœnis, ut videre est in dictis nostris Statutis Generalibus cap. 1. §. 1. ibi: Ideo mandamus, ut si quis ore blasphemio, aut impudenter, vel irreverenter de persona Summi Pontificis, vel summa ejus Dignitate vel Majestate ejus in terris suprema, vel de Apostolicis Constitutionibus, Decretis, aut Sanctionibus obloqui temerè auserit, & de eo legitur contumeliter, semelbris panâ carceris, & aliâ graviori, Superiorum arbitrio puniatur.

Qui verò Eminentissimos S. R. E. Cardinales, aut in eorum Dignitatem vel personam in genere, vel in specie, & præsertim in Eminentissimum Ordinis Protectorem temere ora laxaverit, aut de Episcopis, & aliis Ecclesiæ Prælatibus oblocutus fuerit, trimestri carceri mancipetur; & graviori etiam pœnis pro qualitate delicti, Superiorum arbitrio subjaceat.

Qui Ministro, Vicario, Commissario Generali non obedierit, & aut injuriosus, vel irreverentibus verbis aliquem ipsorum affecerit &c. Suffragiorum jure sexennio careat; ac semelbris carceris panam, vel etiam graviorem pro delicti qualitate subeat.

Qui in Ministrum Provinciale, vel Commissarium ejusmodi crimina admisit, & carceris panâ, Suffragiorum privatione, Generalis arbitrio i. flagatur.

Qui Prælato suo aliqua verba injuriæ contra illum protulerit, statim etiam in eadem monitione non præmissâ carceri mancipetur &c.

Quæritur II. Quid, & quotuplex sit? Quibusque pœnis subjacet sit Blasphemia? Resp. I. Blasphemia est mala, seu contumeliosa locutio in Deum: quæ potissimum tripliciter fieri potest, videlicet Primo, dum de Deo negatur, quod ei convenit: vel aliquid de illo afferitur, quod eidem non convenit: prioris Blasphemia sunt exempla; si quis v. g. dicit: Deus non est Omnipotens; non omnia scit; non est ubique, vel aliud verbum contumeliosum contra illum profert. D. Thomas 2. 2. q. 13. art. 1. Farinacius q. 20. n. 11. posterioris verò, si dicitur: Deus est Tyrannus, est peccator; est mendax; est injustus &c. Secundo, quando quis Deum detestatur, aut malum aliquod ei imprecatur, v. g. ut pereat, aut moriatur, ut confundatur, contemnatur, vel non amplius cognoscatur, nec possit punire peccata &c. Tertio, si humilissimi male, vel contumeliosæ locutiones in B. V. Mariam, vel Sanctos; sicut enim Deus laudatur in Sanctis suis, sic etiam Blasphemia, quæ fit contra Sanctos, in Deum redundat, indeque ut Blasphemia in Deum reputatur, ac punitur. D. Thomas loc. cit. Covarruvias in c. Quamvis de Pact. Clarus §. Blasphemia. Sylvester v. Blasphemia, cum communi aliorum arg. c. 2. h. 1.

Resp. II. Blasphemia præcipue dividitur in Hereticalem, & non Hereticalem. Illa est, quando aliquid articulis Fidei contrarium de Deo assertitur vel negatur, ut si dicatur: Illum non esse Omnipotentem, vel non esse omniscium &c. vel esse mortalem, esse mendacem &c. Hæc vero, seu non Hereticalis est, quando quid Fidei non oppositum contra Deum pronuntiatur; ut si per modum imprecationis, vel detestationis in eum quod profertur, v. g. imprecando interitum, optando ut non esset, vel ei maledicendo &c.

Resp. III. Pœna Blasphemiae aliæ sunt de Jure Canonico, aliæ de Jure Civili: De Jure Canonico imprimis pœna Clerici blasphemantis est depositio ab Officio, & statu Clericali, can. Si quis 10. cau. 22. q. 1. Laici verò blasphemantis pœna de Jure Canonico est Excommunicatio Ferenda, cit. can. Si quis. ibi: Si quis &c. Blasphemet contra Deum usus fuerit, si in Ecclesiastico Ordine fuerit, deponatur; si Laicus anathematizetur.

Dein in Blasphemos ulterius statuuntur pœnæ 18 c. 2.

c. 2. h. 1. illis verbis: Statuimus, ut si quis contra Deum, vel aliquem Sanctorum suorum, & maxime B. Virginem, linguam in Blasphemiam publicè relaxare presumpserit, per Episcopum suum panâ subdatur inferrius annotatè: videlicet quod in septem diebus Dominicis præ foribus Ecclesiæ in mansello (dum aguntur Missarum solemnias) Blasphemus existens, ultimo illorum die Dominico pallium & calceamenta non habeat ligatus corrigiâ circa collum, septemque præcedentibus sextis feris in pane & aquâ jejunet, Ecclesiæ nullatenus ingressus. Quolibet quoque prædictorum dierum tres si poterit, alioquin duos reficiat pauperes, sine unum. Et si nec ad hoc ejus facultates suppetant, id in panam aliam commutetur, qui etiam, si renuerit recipere ac peragere penitentiam supra dictam, Ecclesiæ interdicatur ingressus, & in obitu Ecclesiasticâ careat sepultura. Per temporalem præterea potestatem coactione (si necesse fuerit) Episcopi Diocesis adhibita contra eum, Blasphemus si dives fuerit quadraginta solidorum, alioquin triginta, sine viginti: & si ad id non sufficiat, quinque solidorum usualis monete panâ mulctetur, nullam in hoc misericordiam habiturus, quod etiam inter alia communitatum statuta ponatur.

19 Præter hæc pœnas Jure communi Canonico statutâs alias, easque multâs graves, per speciales Constitutiones contra Blasphemos statuit diversis summi Pontifices, in specie verò Leo X. Constitutione Superne dispositionis, quæ est septima in Tom. I. Bullarum Chervini, inter Constitutiones hujus Pontificis: Juli III. In multis, quæ est vigesima tertia in dicto Tom. I. Bullarii. Pii V. Cùm primum, quæ est quinta in Tom. II. Bullarii Chervini. Et quoniam Bullarium cuius ad manum non est, in odium hujus vitii aliquos §§os. ex dictis Constitutionibus præsertim Leonis X. & Pii V. per extensum hic subjungimus.

20 Et quidem Leo X. loc. cit. §. 33. ita disponit: Ad abolendam verò execrabilem Blasphemiam, quæ in maximum divini nominis, & Sanctorum contemptum supra modum invaluit, Statuimus & ordinamus, ut quicumque Deo, palam seu publicè maledixerit, contumeliosè, atque obprobriis verbis Dominum Nostrum Jesum Christum, & gloriosam Virginem Mariam ejus genitricem expressè blasphemaverit, si minus publicum, jurisdictionemve gesserit perdat emolumenta pro prima & secunda vice dicti Officii; si tercio deliquerit, illo eo ipso quod de delicto hujusmodi fuerit convictus, etiam Beneficiorum quæcumque habuerit, si ultimum applicandis ut infra, omniâ mulctetur, & hoc fit pro prima vice, quâ Blasphemus ita deliquerit. Pro secunda verò vice si ita deliquerit, & convictus, ut præsertim fuerit, si unicum habuerit Beneficium, eo privatur; si autem plura, quod Ordinarius maluerit, id amittere cogatur. Quod si tercio ejus sceleris arguatur, & convictus, Dignitatibus ac Beneficiis omnibus quæcumque habuerit, eo ipso privatus exsistat, & ad ea ulterius retinenda inhabilis reddatur, eoque libere impetrari, & conferri possint. Laicus verò blasphemans, si nobilis fuerit panâ XXV. ducatorum mulctetur, & pro secunda vice. L. Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe appl. candorum, & aliis ut infra deducitur. Pro tercio verò Nobilitatem perdat. Si verò ignobilis ac pibeus fuerit, in carcerem detradatur, & si ultra duas vice publicè blasphemans deprehensus fuerit, mira infami per integrum diem ante foras Ecclesiæ principalis miratus stare cogatur; si verò pluries in hoc ipsum peccatum lapsus fuerit, ad perpetuos carceres, vel ad trimessem detinetur, ad Judicis deputati arbitrium. In foro autem conscientie, nemo blasphemie reus, absque gravissima penitentia, severi Confessorii arbitrio mixta, possit absolvi. Qui verò reliquos Sanctos blasphemaverit, arbitrio Judicis, rationem personarum habituri, mitius aliquando

puniri volumus. Statuimus etiam, ut sæculares Judices, qui contra tales Blasphemias convictos, non animadvertierint, easque justis pœnis minime affecerint, quantum in eis fuerit: quasi eidem sceleri obnoxii, eidem quoque pœnis subjactantur. Qui verò in illis inquirentibus, punitionisque diligentes, & severi fuerint, pro qualibet vice decem annorum indulgentiam consequantur, & tertiam partem multæ pecuniariæ habeant. Quicumque verò Blasphemantem audierint, eum verbis acriter objurare teneantur, si citra periculum suum id fieri posse contigerit, eundemque deferre, vel notificare apud Judicem Ecclesiasticum, seu sæcularem intra tri-duum debeant. Quod si plures dictum Blasphemantem simul audierint, simul cum accusare teneantur, nisi forte omnes convenerint, ut unus pro cunctis tali fungatur officio. Quos omnes in virtute obedientie hortamur, & monemus in Domino, ut pro Divini nominis reverentia & honore, in suis Dominicis ac terris præmissa omnia servari, & exactissimè exequi mandent, ac faciant uberrimam ab ipso Deo tam boni ac pii operis mercedem habituri, similemque annorum decem indulgentiam ab Apostolica Sede consecuturi, cum tertia parte multæ, quâ dictus Blasphemus plectitur, quoties tale scelus puniendum curaverint, quam quidem indulgentiam, & reliquam tertiam multæ partem, accusatori Blasphemii nomen deferenti, similiter concedi, & assignari volumus, alius panis contra hujusmodi Blasphemos per sacros Canones expressè, nihilominus in suo robore manentibus.

Pius V. autem loc. cit. §. 33. ita disponit: Ad abolendam verò nefarium, & execrabilem Blasphemiam scelus, quod in antiqua Lege Deus morte puniri mandavit, & Imperialibus quoque legibus receptum est, nunc autem propter nimiam Judicium in puniendo segnitiam, vel potius desuetudinem, supra modum invaluit, Leonis X. prædecessoris nostri in novissimo Lateran. Concilio statuta innovantes, decernimus, ut quicumque Laicus Deum, & Dominum nostrum Jesum Christum, vel gloriosam Virginem Mariam ejus genitricem expressè blasphemaverit, pro prima vice panam viginti ducatorum incurrat, pro secunda panâ dupplicabitur, pro tertia autem centum ducatos solvat, & igne mirâ notatus exilio mulctabitur. Qui verò plebeus fuerit, nec erit solvendo, pro prima vice manibus possi terum ligatis ante fores Ecclesiæ constituitur per diem integrum; pro secunda suspigabitur per urbem, pro tertia lingua ei perforabitur, & mittetur ad Trivemes. Quicumque Clericus in hoc Blasphemiam crimen incurrerit, pro prima vice fructibus unius anni omnium, & quorumcumque Beneficiorum suorum; pro secunda Beneficiis ipsis privetur; pro tertia omnibus etiam Dignitatibus exutus deponatur, & in exilium mittatur. Quod si Clericus nullum obtinuerit Beneficium, panâ pecuniariâ, vel corporali pro prima vice puniatur; pro secunda vice carceribus mancipetur; pro tertia verbaliter degradetur, & ad Trivemes mittatur. Qui reliquos Sanctos blasphemaverit, pro qualitate Blasphemiam, atque personarum, arbitrio Judicis puniatur.

Resp. IV. Blasphemiam pœna de Jure Civili est ultimum supplicium per textum Novell. 77. cap. 11. ad exemplum Legis divine in Testamento veteri Levit. 24. v. 16. ibi: Qui blasphemaverit Nomen Domini, morte morietur &c. Quam pœnam ultimi supplicii pro gravi Blasphemia præsertim in ipsum Deum etiam statuit Carolus V. Constit. Crim. art. 106. pro leviore autem, præsertim, si non in Deum, sed B. V. Mariam, vel Sanctos fiat, præcisionem vel mutilationem linguæ, fustigationem, incarcerationem, multam pecuniariam, vel aliam arbitriam pro diversitate circumstantiarum delinquentis, & delicti.

Et quamvis justissimus rigor pœnarum contra 23

Blasphemos pluribus in locis ob invalescentem ab-
usum blasphemandi exacte non observetur, tamen
recte monet Clarus §. Blasphemia. nu. 3. cum aliis
ibidem allegatis, id fieri ex defectu Justitiæ, &
Religionis, cum utraque hæc virtus exigat, ut
nil magis puniatur, & terrore poenæ extirpetur
quàm Blasphemia, utpote vitium omnium maxi-
mum. Unde eadem multis in locis adhuc sunt
in usu, uti in Bavaria, ubi licet arbitrio Judicis
relinquatur, Blasphemiam pro diversitate delicti &
personarum punire Lib. 5. Tit. 7. (der Lands und
Policey-Ordnung.) Tamen experientia habemus,
quod in Bavaria plures blasphemii etiam amputa-
tione linguæ & capitis fuerint puniti; iusto id exi-
gente arbitrio Judicis.

24 Illud tamen notandum, quod si quis in plena
cibrietate, vel etiam ex calore & impetu iracun-
diæ ortum habentis ex gravi & iusta causâ blas-
phemiat, ordinariæ poenæ non subiaceat, sed mi-
tius arbitrio Judicis puniri debeat, Clarus v. Blas-
phemia. num. 6. & Farinac. Prax. Criminal. quest.
20. num. 47. Menochius de Arbitr. Judic. casu 37.
num. 33. cum communi aliorum, arg. c. 2. h. t. ibi:
Presumpserit; quod importat deliberationem, quam
ebrii non habent, nec satis habere censentur ira-
cundi, utpote qui nesciunt quomodo, & quid
agent.

25 Dicitur autem notanter, ortum habentis ex gra-
vi, & iusta causâ, ut si v. g. vir uxorem in Ad-
ulterio deprehendens, irâ commotus blasphemiat;
si enim iracundia, ex levi, vel etiam gravi quid-
em, sed iniusta causâ proveniat, v. g. si quis ju-
ste privatus Officio, aut aliis graviter panitus,
vel ob perditam lusu magnam Summam pecu-
nariam, indeque irâ commotus blasphemiat, poe-
næ ordinariæ, & per consequens etiam ultimo
supplicio subiacet: Doctores citati, Pirhing h.
t. numer. 11. Abbas in cit. c. 2. h. t. num. 6. & alii
communiter.

26 Notandum insuper, illos, qui sine respectu erga
Deum, & Sacramenta, sed vel ex subita-
nè irâ, indignatione, aut ex prava consuetudi-
ne in Germania, proh dolor! satis vigente blasphemant
per Sacramenta, dicendo v. g. Gotts Sacrament.
Gotts tausend und Million Sacrament &c.
Poenas ordinarias non incurere, bene tamen ex-
traordinarias, quæ in Bavaria nostra per Judi-
ces magis tinentes Deum omnimò imponitur,
juxta dispositionem statutorum Bavaricæ cit. lib.
5. Titul. 7. articul. 2. (der Lands- und Policey-
Ordnung.)

27 Queritur III. Quis sit Judex Blasphemiæ? Resp.
I. Si Blasphemia est hæreticalis, seu habens con-
junctam Hæresin, Judex illius est solus Ecclesia-
sticus. Patet Conclusio ex dictis Tit. VII. de Hæ-
retic. ubi in causâ Hæresis solus Ecclesiasticus
competentem Judicem esse, clarè probatum habe-
tur. Limita tamen Conclusionem juxta dicenda
numer. 29.

28 Resp. II. Si Blasphemia non hæreticalis sed sim-
plex est iuxta dicta num. 16. est mixti Fori, & da-
tur locus præventionis, ita tamen, ut si unus v.
g. Judex Ecclesiasticus illum punit, per hoc non
impediatur Judex secularis, quin Blasphemum etiam
in suo Foro punire valeat, ac contra Farinac. q. 20.
n. 39. Barbosa de Offic. & potest. Episcop. Allegat. 51.
n. 93. Abbas in c. fin. h. t. n. 9. Sanch. lib. 2. Moral. cap.
32. n. 37. & alii arg. c. 2. h. t. ibi: Per Episcopum poenâ
subdatur, & per temporalem Possessionem mulctetur.

29 Notandum tamen, consuetudine in his partibus
passim vidente Judices seculares etiam Blasphe-
miam hæreticalem judicare & punire; idque ut
apparet, idèd, quod etiam Blasphemiæ hæreticales,

v. g. Deus non est justus, ordinariæ potius ex mente
Blasphemæ, quam hæreticali, & errore intel-
lectus fiant.

TITULUS XXVII.

De Clerico excommunicato, deposito
vel interdicto ministrante.

SUMMARIUM.

- 1 Ratio ordinis.
- 2 Poena Censuram violentis Clerici I. est depositio ab Officio, & Beneficio.
- 3 Quæ instigi potest ante omnem monitionem.
- 4 II. Qui in Excommunicatione existens celebrat, privatur Beneficiis ante omnem sententiam.
- 5 III. Poena Censurati actum Ordinis exercentis est irregularitas ipso facto incurrenda.
- 6 Ad quam tamen contrahendam requiritur primò, ut Censuratus exerceat verum, ac proprium actum Ordinis.
- 7 Actus Ordinis ad propositum qui sint, & qui non? Ibid.
- 8 Suspensus, & excommunicatus visitandus irregulariter sunt, si absolvunt aliquem Sacramentaliter, etsi nulliter agent.
- 9 Objectione.
- 10 Secunda conditio est, ut Censuratus temerè, seu cum culpa actum Ordinis exerceat.
- 11 Hinc qui ignorat, se esse Censuratum, irregularitatem non incurrit, exercendo actum Ordinis.
- 12 Nec qui in extrema necessitate absolvit.
- 13 Nec qui ad vitandum scandalum, vel infamiam, actum Ordinis exerceat.
- 14 Nec ille, contra quem sententia Censuræ eviden-
ter est nulliter lata.
- 15 Variè dubitare quis potest de sua Excommuni-
catione.
- 16 Qui scit, se esse à Judice Ecclesiastico excommuni-
catus, & dubitat, an ritè & legitime, irregu-
laris est, si in illa ministrat.
Nec juras appellatio post latam Excommunicationem
interpositam. Ibid.
- 17 Dubitans, num contra se lata sit sententia Excommuni-
cationis, & vel a perpetratis delictum, cui
Excommunicatio est annexa, tenetur sub poena
Irregularitatis abstinere ab exercitio Ordinis.
- 18 Solvitur Objectione.
- 19 In materia morali, præsertim Censuræ & Irregu-
laritatis in dubiis debemus sequi tutiorem: Et
num. seq.
- 20 Consilium sequi nemo tenetur. Ibid.
- 21 Non tantum vitandus, sed etiam toleratus Ex-
communicatus irregularitatem incurrit, si ac-
tum Ordinis exerceat.
- 22 Non item Excommunicatione minori ligatus.
- 23 Censuratus etiam minoris Ordinis actum exercentis
est irregularis.
- 24 Si id cum solemnitate faciat.

U Num ex Clericorum gravibus delictis est vi-
olant Censuras, dum nempe in Excommunicatio-
ne, Suspensione, vel Interdicto existens aliquem ac-
tum Ordinis exercent, aut in loco interdicti Di-
vina celebrant. Ob quod delictum, quia poenâs con-
trahunt,

Queritur I. Quas poenas incurrant Clerici Cen-
suram violentas, seu qui in Excommunicatione, Sus-
pensione, vel Interdicto existens aliquem actum Or-
dinis exercent? Resp. I. Hujusmodi Clericos se-
quentibus subijci poenis. Et quidem I. Incur-
runt poenam Depositionis ab Officio & Beneficio,

non

non quidem ipso Jure, sed sententia Judicis infen-
dendam. Abbas in c. Clerici. 3. h. t. & ibi Ancha-
ranus, Hostiensis, Barbosa, & alii, arg. cit. c. 3.
h. t. ibi: Clerici autem, si qui à suis, aut etiam de
mandato Romani Pontificis ab alienis Episcopis in-
terdicti, vel excommunicati, ante absolutionem di-
vina Officia celebraverint, nisi moniti sine dilato-
ne reuertantur perpetuè depositionis sententiam pro au-
su temeritatis incurrant; Quavis erim hic textus
de solis Excommunicatis & Interdictis loquatur, ta-
men Glossa communiter recepta in cit. c. Clerici. h. t.
v. Moniti, hanc poenam etiam ad Suspensos extendit.

Potè hæc poena statim in contenti, etiam
absque ulla admonitione præviâ imponi potest
Reo, Glossa citata, & ibi Abbas n. 2. arg. c. La-
tores. 4. h. t. Nec obstat, quod cit. c. Clerici. 3. h. t.
dicatur: Nisi moniti sine dilatione respiciant. Re-
ponderetur enim, per hunc textum plus non indi-
cari, quàm quod Episcopus possit, si velit, prius mo-
nere Reum, eique si monitus statim se emendet, ex
gratia dispensationis hanc Depositionis poenam re-
mittere, Abbas loc. cit. Pirhing h. t. n. 5.

II. Poena est, quod si in Excommunicatione exi-
stens Divina celebret, ipso facto incurrat Privationem
Beneficiorum, c. Fraternalit. 6. h. t. ibi: Presby-
teros autem, & alios Clericos, qui pro suis excessibus
à te nexibus Anathematis Canonice innodati præsum-
serint, vel præsumunt Officia celebrare divina, ratio-
nabiliter poteris omnibus Beneficiis Ecclesiasticis spo-
liare: quod ultimum verbum Spoliare indicat sen-
tentiam jam latam, ita ut Episcopus solam Juris exe-
cutionem facere debeat, ut post Tiraquellum in
l. Si unquam. 8. C. De revocand. donat. v. Tenentur.
n. 167. neque advertit Barbosa in c. Fraternalit. 6. h. t.
Ratio est; quia cum talis Clericus ipso Jure sit ir-
regularis, consequenter ad obeunda munera Bene-
ficiorum inhabilis, merito Beneficiis privatur, arg. c. fin
de Rescriptis in 6.

III. Poena illius, qui Suspensus, Interdictus, vel
Excommunicatus actum Ordinis exercent, est irregu-
laritas, quæ ipso Jure contrahitur. Commu-
nis & certa ob Jura clara. Et quidem de Suspenso
patet ex c. Apostolica 9. h. t. c. 1. §. fin. de Sentent. &
v. Judic. in 6. ibi: Quod si in Suspensione durante dam-
nabiliter ingressus sit divinis, Irregularitatis laqueo
se involvet. Concordat c. 1. §. fin. de Sentent. Excom-
m. in 6. De Interdicto habetur c. Is cui. 20. eod. in 6.
ibi: Is cui Ecclesiæ interdictum est ingressus &c. irre-
gularis efficitur, si contra Interdictum hujusmodi Di-
vinis in ea se ingerat. De Excommunicato autem tex-
tus sunt in can. Si quis Episcopus, & seq. cau. 11. q.
3. juncto c. penult. & ult. h. t.

Resp. II. Ad hoc ut Censurati incurrant irregu-
laritatem, sequentes requiruntur conditiones. Pri-
ma est, ut verum ac proprium actum Ordinis ex-
erceant, cujusmodi est celebratio Missæ v. g. col-
latio Sacramenti, Ordinis, Confirmationis, admi-
nistratio extremæ Unctionis &c. quia etsi Censu-
ratus graviter peccet, tamen Irregularitatem non
incurrit solum exercendo actus Jurisdictionis; qua-
lis v. g. est dispensatio in votis, Joramenti, ab-
solutio in Censuris, si fit absque stola, & aliis ce-
rimoniarum; prædicatio Verbi Dei, assistentia Ma-
trimonii; quia omnes hi actus Ordinis non sunt;
qualis tamen esset, & Irregularitatem traheret, si
Censuratus Sacerdos spontis solemnem Benedic-
tionem impertiret. c. 1. & c. Vir autem 3. De se-
cundis nuptiis. Suarez de Censuris. Disp. 11. sect. 3.
n. 18. Tales etiam forent collatio Baptismi cum
solemnitate; cantatio Evangelii cum stola, Episto-
le cum manipulo &c. Non item cantatio Evan-
gelii sine stola, & manipulo, collatio Baptismi
privata &c. quia illi à solis Ordinatis vi Ordinis,

illi verò etiam à non Ordinatis exercentur. Navar-
tus Manual. cap. 27. n. 244. Sylvester v. Irregulari-
tas. q. 13. dist. 1. §. 4.

Potè inter actus Ordinis reputatur etiam Ab-
solutio Sacramentalis, quæ fit à Suspenso, vel Ex-
communicato etiam vitando; Quavis enim hi ut-
pote Jurisdictione privati invalidè absolvent, nihil-
ominus, quia quantum in se est, exercent actum Or-
dinis, cum idem faciant, quantum in se est, quod
aliis Irregularitatem contrahunt, sic ut ille, qui re-
baptizando invalidè agat, & verum Baptisma non
conterat, can. Confirmandum. 59. dist. 50. can. Afros.
3. dist. 98. c. Ex litterarum. 2. de Apost. &c.

Nec obstat, si dicatur, ad incurrendam Irregu-
laritatem requiri actum in suo genere perfectum,
uti patet in mutilatione, & homicidio, quod solum-
modò attentatum, Irregularitatem non inducit,
nisi etiam in actu ipso sit completum, per dicta
Tit. XII. de Homicid. §. II. Nam contra est, quod
etsi talis Absolutio non fortitatur suum effectum
in ordine ad liberationem à peccatis, fortitatur
tamen illum in ordine attentionis, & exercitii
actus Ordinis, in quo genere talis absolutio con-
summata, & perfecta est, sicut attentata, etsi in-
validè facta rebaptizatio, ex qua Irregularitatem
contrahi certum est per Jura numer. præced. al-
legata.

Secunda conditio ad contrahendam præfatam Ir-
regularitatem requisita est, ut Censuratus temerè
& culpabiliter exerceat verum, seu proprium ali-
quem actum Ordinis. Suarez de Censuris. p. 7. dist.
9. sect. 2. dub. 1. §. Hinc sequitur, Pirhing h. t. n. 40.
Gonzalez in c. Apostolica 9. h. t. n. 15. & alii. Ra-
tio est; quia hæc Irregularitas est imposita in poe-
nam culpæ, seu peccati, arg. cit. can. Si quis. 6.
cau. 11. q. 3. ibi: Si quis fuerint de ministerio sacra-
contingere: & can. Si quis. 7. ead. cau. & q. ibi: præ-
sumpserint. c. Latores. 4. h. t. ibi: Postquam inter-
dicti, vel excommunicati fuerint, divina præsumpserint
Officia celebrare: & infra: Si deliquisse confiterit:
& c. 1. de Sentent. & re judicat. in 6. ibi: Si damna-
biliter se ingesserit: cum Concordant, ergo ubi nulla
culpa est, nec poena hæc incurritur, per Valgaria.

Hinc colligitur Primò eos, qui invincibiliter ig-
norant se esse excommunicatos, suspensos, vel in-
terdictos, non incurere hanc Irregularitatem:
Doctores c. Apostolica 9. h. t. ibi: Vos redit pro-
babilis ignorantia excusatos; sed verò illos, qui
hujus ignorantiam vincibilem, seu crassam, & supi-
nam habent, arg. cit. c. Apostolica, & ibi Glossa v.
Probabilis, Abbas n. 3. Ratio est; quia ignorantia
invincibilis, & probabilis, non item crassa & su-
pina excusat à culpa.

Colligitur Secundò etiam illum Censuratum non
fieri irregularem, qui extrinsecè urgente necessitate,
v. g. in Articulo mortis aliquem absolvit, casu quo
alius Sacerdos à Censura immunis haberi nequit,
eò quod in Articulo mortis quisvis Censuratus va-
lidè & licitè absolvat vi Concil. Trident. Sess. 14.
cap. 7.

Colligitur Tertio, illum quoque immunem esse
ab hac Irregularitate, qui in Censura existens ad
vitandum grave scandalum, vel ad vitandam in-
famiam exercet actum Ordinis, prout contingere
potest, si quis ob delictum occultum excommuni-
catus existens manifestationem delicti, indeque
infamiam sui induceret, si actum aliquem Ordinis
exerere omitteret. Avila loc. cit. Pirhing h. t. n. 42.
Ratio est; quia Leges humanæ obligare non vi-
dentur cum tam gravi incommodo.

Colligitur Quarto, nec illum Irregularitati sub-
jacere, qui in Censura existens exercet Ordinis
actum, casu quo sententia Censuræ contra se lata
evi-

evi-